ADMIRANDA NILI.

Commentatione philologicâ geographicâ, historicâ, physicâ, & hieroglypicâ, ex CCCXVIII. *Autoribus, Græcis & Latinis, vetustis & recentibus illustrata.*

Cum duplici Indice, uno Autorum, qui allegantur & illustrantur: altero rerum memorabilium: cui subjicitur totius opusculi methodus Schematismo logico comprehensa.

AUTORE
MARCO FRIDERICO WENDELINO,
ARCHIPALATINO.



(7) 6

Ex officina *Rogeri Danielis*, Almæ Academiæ *Cantabrigiensis* Typographi. MDCXLVIII.



Præstantissimis, doctissimis & prudentissimis viris,

Dominis Consulibus, Prætoribus & Camerariis Reipublicæ Servestanæ, reliquisque boni publici Curatoribus, Dominis suis & amicis honoratissimis,

MARCUS FRIDERICUS WENDELINUS, Gymnasiii Servestani Rector,

Salutem & pacem à Deo.



NObili emblemate, Viri præstantissimi, doctissimi, prudentissimi, ἄριστον μὲν ὕδωρ, hoc est, *Optima est Aqua*, aurei poematis vestibulum exornat *Pindarus:* quod de multiplici hujus Elementi usu & præstantia prodiisse opinatur *Aristoteles*, 1. Rhètor. Nec fefellit opinio Philosophum. Quid enim Aquis utilius? quid pulchrius? quid admirabilius? Mortalibus quos præstent usus Aquæ, si meis quàm *Ambrosii* malim verbis exprimere, certè iniquus elegantiarum & gravitatis sim æstimator. Sic ergò ille in Hexaëmero, de omnium aquarum fonte inexhausto, Mari; *Bonum Mare, tanquam hospitium fluviorum: fons imbrium: derivatio alluvionum: invectio commeatuum: quo sibi distantes populi copulantur: quo præliorum removentur pericula, quo barbaricus furor clauditur: subsidium in necessitatibus: refugium in periculis: gratia in voluptatibus: salubritas valetudinis: separatorum conjunctio: itineris compendium: transfugium laborantium: subsidium vectigalium: sterilitatis alimentum. Ex hoc pluvia in terras transfunditur: siquidem de mari aqua radiis solis hauritur, & quod subtile ejus est, rapitur: deinde quanto altiùs elevatur, tanto magìs etiam nubium obumbratione frigescit, & imber fit, qui non solùm terrenam temperat siccitatem, sed & jejuna arva fœcundat. Quid enumerem Insulas, quas velut monilia plerunque prætexit, in quibus ii, qui se abdicant intemperantiæ secularis illecebris fido continentiæ proposito eligant mundo latere, & vitæ hujus declinare dubios anfractus. Est ergò mare secretum temperantiæ: exercitum continentiæ: gravitatis secessus: portus securitatis: tranquillitas seculi: mundi hujus sobrietas: tum fidelibus viris atq; devotis incentivum devotionis; ut cum undarum leniter alluentium sono certent cantus psallentium: plaudant insulæ tranquillo fluctuum sanctorum choro, hymnis sanctorum personent.* Hactenus *Ambrosius:* cujus verba integro volumini materiam præbere possint. Nos paucis internas aquarum divitias, & externas commoditates intuebimur, indéque usum multiplicem æstimabimus.

Internas aquarum divitias, piscium, qui in mortalium cedunt usus, greges, & auri, gemmarum ac margaritarum, quas vehunt, vim intelligo.

Piscium & numero & mole ità luxuriant aquæ ut aeris terrarumq; incolas longissimè superent. Sub numero species & individua complectimur, quæ numerum ferè non admittunt. Nam in Aquilonari novi orbis mari tanta piscium est multitudo ut iis impacta quasi navigia retineantur: *Ramusius*, De nova

 Francia.

Francia. Idem de Scaniæ sinu refert *Saxo Grammaticus*. Nec dubitabit de immensa aquatilium copia, qui vel in unico pisce multos ovorum centurias, stupenda quadam fœcunditate, singulis annis nasci cogitaverit: cùm pleraque animantium terrestrium ultra quinos aut senos continuo nisu fœtus haud edant.

Hoc verò vel maximè admirandum, quòd non incolarum tantùm copia terras aquæ superent: sed de figurarum quoque cum iis similitudine certent. In terrestribus enim animantibus figuram vix reperias, quam in incolis suis non ostentet aqua: ut vera fiat vulgi opinio, *quicquid nascatur in parte naturæ ulla, & in mari esse, præterque multa, quæ nusquam alibi:* quæ *Plinii* verba, lib. 9. cap. 2. Hinc passim describi videas *homines, equos, asinos, boves, porcos, canes, ursos, leones, simias, lepores, elephantos, monocerotes & aves aquatiles.* Nec animalium tantùm, sed & rerum, ut *Plinius* distinguit, simulacris exprimendis aquæ ludunt: ut intelligere licet intuentibus *Lunam, uvam, urticam, gladium, serras* & *arbores* marinas: perplexis, ut credit idem *Plinius*, & in semet aliter atque aliter, nunc flatu, nunc fluctu convolutis seminibus atque principiis.

Moles Monstrorum aquatilium non minùs admirationis habet & prærogativæ, imo fide major videtur: Sunt enim in Aquilonaribus aquis monstra tantæ molis, ut in littus ejecta, exesis carnibus, purgatísque ossibus, prægrandes naves lignis & ferramentis optimè compactæ videri possint. Quin si pronum jaceat monstri cadaver, spatiosæ domus vicem facilè præstiterit, collocatis in parte superiore fenestris, & cubiculis per latera hinc indè dispositis, portísque fabrefactis, & maxillis monstri occlusis: tanto totius familiæ inhabitantis commodo separatis habitaculis, ut gallinis, suibus & equis quoque alendis locus sit. Oculatam rei hujus testem habemus *Olaum*: qui se vidisse præterea scribit, anno 1532. piscem longum ped. 90. Crass. 18. Cuľoris hiatus patuerit ped. undeviginti: maxillæ æquârint crassitiem ped. 3. longitud. ped. 22. *Albertus* quoque testatur se piscem vidisse, cujus oculi fovea 20. hominum capax esset. *Juba* ad C. Cæsarem Augusti filium scribit, in Arabiæ flumen intrâsse pisces longos 600. pedes latos 360.

Hactenus internæ aquarum divitiæ, pisces, quibus omnes frequentantur majores aquæ si unicum exceperis mare mortuum, seu *Gomorrhæum*: de quo *Cyprianus*;

---Nequit proferre aliquam de gurgite gentem
Squamigeram, levive cuti vel cortice septam,
Vel crispam concham, aut duplici compagine clausam.

Nec verò piscium duntaxat, sed & auri divites sunt aquæ, ostentántque aurifera flumina pleræque orbis provinciæ: *Germania* nostra Rhenum: *Hispania* Tagum, Tarium, Durium: *Italia* Padum: Gangem & Hydaspem *India*: *Lydia* Pactolum & Tmolum: Hebrum *Thracia*: Arimaspum *Scythia*: suúmque novus orbis Zeneum, propter Insulam *Carthagenam*, qui auro magìs quàm piscibus scatet, vehítque aureas glebas ovi gallinacei magnitudine, quas retibus, piscium instar, venari accolæ consueverunt. Optimum hoc fluminum aurum *Plinio* videtur, quippe cursu ipso tritúque politum. Margaritarum, quæ principium culménque omnium rerum pretii tenent, è stulta hominum æstimatione, quantam vim quæso maria fundunt? nec aliunde ex nisi è mari: Sunt enim partus concharum ex abysso maris urinantium educti periculis: de quibus multa *Plinius*, lib. 9. c. 35. Nec pretiosissimas in aquis gemmas desideres, quas affatim ministrant *Acesines* & *Ganges*: tanta verò copia *Cinibs* Arabiæ, ut assumtæ inde camelis aliò deportentur.

Ab internis aquarum *divitiis ad externas commoditates* transimus, è multis paucas saltem delibaturi, quas *Ambrosius* nobis exprimit: cui aqua appellatur, *Invectio commeatuum: separatorum conjunctio: itineris compendium: subsidium vectigalium: portus securitatis: subsidium in necessitatibus: secretum temperantiæ: sterilitatis alimentum:* quas aquis prærogativas verissimè tribui paucis ostendemus.

Et primùm quidem perquàm esse necessariam *commeatuum*, & aliorum ad varios vitæ usus necessariorum *invectionem* ex una provincia in aliam, inde palàm est, quòd *non omnis ferat omnia tellus*, uniúsque opem altera desiderer, ad vitam tolerandam: quæ prima communicandorum & frequentandorum commerciorum occasio fuit. Nì verò manus quasi auxiliatrices hìc aquæ porrigerent & suo velut tergo susceptos commeatus mercésq; in omnes mundi angulos deportarent, quàm impedita quæso, quàm sumtuosa & rara mortalium essent commercia! Quis tam aspera & celsa montium juga, tam profundas vallium abyssos, tam vastas sylvarum solitudines, tot bestiarum incursionibus, tot latronum insidiis infestas, vel solus vel cum jumentis peragraret, ut ex Indiis Orientalibus aromata, metalla & gemmas, in plagas hasce septentrionales terrestri itinere exportaret? Saltem è Persico sinu *Bassorenses* mercatores ad *Babylonios* literas missuri, non tabellionum, quibus inviæ sunt vastæ solitudines, & montium ardua, sed columbarum utuntur ministerio, quibus in hunc usum assuefactis literas appendunt, ut alarum remigio,

montium jugis, vastísque solitudinibus superatis, *Babyloniam* deferant. Occidentalis Indiæ metalla pretiosa, & alia usibus nostris servientia quàm parcè quæso in orbem hunc Europæum inveherentur, si terrestri itinere tam immensa urbium & orbium divortia emetiri necessum esset? Etsi maximè omnem illam itinerum molestiam improbus hominum labor concoqueret, rerum tamen in immensum pretia excrescerent, quæ commercia tandem prorsus abolerent. Nec enim vel *Hispani*, vel *Itali*, vel alii populi Septentrionales haberent, quo *Germaniæ* frumenta, vel *Germani* nos, quo *Hispanorum*, vel *Italorum*, vel *Septentrionalium* populorum merces redimeremus: quæ tolerabili modo ad nos, ut & nostræ ad illos, pretio, perferuntur, aquarum portatæ humeris.

Separatorum conjunctio nonne & ipsa aquis debetur? Fac aquas esse nullas, & immensis illis, quas maria jam explent, voraginibus hiare terram, & discludi, orbis provincias: quis ad Tartara se dimittet, ut alterius orbis populos invisat, & humanam cum iis societatem colat. Sed si maximè diffusa terræ planities substrata nobis esset: rarissima tamen longè *separatorum conjunctio* esset, ob difficilia, periculosa & sumtuosa itinera, quibus ferendis vix maximæ essent fortunæ.

Itinerum compendia, quanta subministrent aquæ, pluribus enarrare, nil attinet. Etsi enim breviores sæpenumero sunt viæ terrestres, si rectà eatur, nullísque ambagibus iter inflectatur: tot tamen difficultatibus plerumq; sunt impeditæ, ut vel prorsus sunt inviæ, vel ter quatérve longiores marinæ ter quatérve citiùs conficiantur; è *Batavorum* terra in *Angliam* trajicitur, secundo vento, horarum 24. spatio: Quis Mercurius terrestris tantum viæ tot horarum spatio confecerit? Qui ex *Hispania* in *Americam* trajecerunt, testantur 24. dierum spatio iter se confecisse, quod milliarium esse crediderim plus 1500. Quis pedes vel eques tot dierum spatio, etiam per expeditissimum terræ æquor, tantum iter confecerit? In *Germania* nostra, qui, *Danubio*, *Rheni* vel *Albi* se committunt, quanta itinerum, temporum & sumtuum faciunt compendia? Quibus ut tanto felicior esset nostra *Germania*, olim *Carolus Magnus* præclarum facinus est ausus, molitúsque ex *Rheno* continuum trajectum in *Pontum* usque *Euxinum*, fossam ex *Regneso* in *Almonem* militari opere ducturus, ut ex *Rheno* in *Mænum*, ex *Mæno* in *Regnesum*, ex *Regneso* per fossam in *Almonem*, ex *Almone* in *Danubium*, è *Danubio* in *Pontum Euxinum* navigari posset: quo in opere per integram æstatem exercitum detinuit: sed irrito conatu: propter ingruentes tempestates, quæ militem ab opere coegerunt desistere. Luculenta fossæ vestigia etiamnum extant juxta *Weissenburgum*.

Subsidium vectigalium, quæ portoria appellamus, non ignorat jam orbis noster Europæus: Etsi minor olim portoriorum videtur cura fuisse florenti Romæ. In *Germania* nostra *Danubium*, *Rhenum*, *Albim*, *Visurgim*, *Mosam*: In *Gallia Rhodanum*, *Ligerim*, *Garumnam*, *Sequanam*: In *Italia*, *Padum*, *Tiberim*: In *Hungaria Tibiscum*: In *Polonia Vistulam*, quantam auri & argenti vim territoriorum Dominis fundere, hoc seculo, arbitremur? Freta taceo angusta, quæ auri, per hunc acquirendi modum sunt longè feracissima: è quibus ad testimonium citâsse vel unicum suffecerit *Daniæ* fretum inter *Croneburgum* & *Elsenburgum*, cujus fauces, maximo auri impendio, coguntur intrare *Hollandiæ*, *Zelandiæ*, *Franciæ*, *Angliæ*, *Scotiæ*, *Norvegiæ* & *Balthici maris* naves, quæcunque maris istius divitias quæritant.

Portus securitatis quantus quæso in aquis, in Insulis, quas aquæ cingunt, & à continente abjungunt. Videntur Insulani quasi alium habitare orbem, qui etsi fluctibus undarum astra sæpenumero lacessentium jamjam obruendi & sepeliendi videntur: tuti tamen sunt in tantis aquarum motibus: providâ Dei curâ omnem maris irati impetum ad Insularum littora frangente, & omnipotentis imperio vocis increpante: *Huc usque venies, & nè procedito, & sic opponet se littus superbiæ fluctuum tuorum:* Hiobi 38. v. 11. Externi hostes quantumvis prædarum avidissimi & ipsi formidant Insulas, cœlo undísque, quibus cinguntur, diffidentes. Res enim periculi plena mobilibus aquis vitam fortunásque suas committere: cùm vel unius & alterius diei aut horæ tempestas multorum annorum apparatum, hominúmque ac jumentorum innumeras copias ad Tartara præcipitare possit. Vera me loqui testabitur nobilis illa *Hispanorum* clades, quam anno 88. ab irato mari acceperunt, fluctibus obruti, cùm *Angliam* fluctuum instar obruere pararent: Etsi & Insulanorum *Anglorum* virtus in fatigando & consumendo hoste enituit. Triennium ferè absumserat classis apparatus, qui grandiores bellicas naves habebat 150. militum veteranorum ex Hispania, Italia, & aliunde collectorum 20000. nautarum 10000. tormentorum 2650. In *Proserpinæ* peculio numerati jam erant Insulani *Angli*, & tamen in *portu securitatis* immoti stetere, undis & tempestatibus pro salute Insulanorum excubantibus, & Hispanos cum navibus & tormentis haurientibus. Est igitur aqua *portus securitatis*, sed iis qui Insulas habent, quæ *Ambrosii* quoque sententia: periculorum autem præsentissimorum sentina iis, qui Insulas lacessunt & spe prædæ fragili ligno levibúsque auris vitam credunt: quod olim *Poeta* versiculis istis indigitavit.

I nunc, & ventis animam committe dolato
Confisus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor aut septem, si sit latissima teda.

Quam in sententiam *Anacharsis* quoque quærenti, quantùm à morte distaret, qui navigat, respondit: *quanta spissitudo, tabularum nauticarum.*

Subsidium in necessitatibus aquas esse nemo certè negaverit, nisi qui hospes in natura & rebus humanis. Primus hic mortalium felicissimorum potus fuit, in illa innocenti orbis infantia, quæ aliud nullum sitis remedium quæsivit, nisi aquas. Tolle aquas, & actum erit de mundi incolis; quos nisi aqua, vel ex aquis liquor à natura aut hominum industria paratus conservet & recreet, sitis conficiet; crudele mortis genus; quo Rolandus Caroli Magni, ut volunt, sororis filius, cujus in nostra quoque Urbe statuam habemus, prope Pyrenæi saltûs juga, extinctus fertur: quod ut Mercator, qui arentia & arenosa Africæ loca peragrabat, effugeret, à comite decem aureorum millibus aquæ haustum emit in deserto Azaord; quantóque auro præstantior esset aqua, contractus hujus exemplo docuit: redemisset & alterum haustum totidem aureis, si aquæ aurique copia fuisset: Cùm enim sitis rursus eum invasisset, è defectu aquæ miserrimè tandem contabuit, & in ardentibus arenis exspiravit. Quàm aqua carere nequeat mortalium vita, & quàm subsidium hoc sit necessarium πτολίπορθοι nôrunt & πολιορκηταὶ, qui ferentibus ità locorum naturis, aquarum usum obsessis adimunt, & invicta quæ videbantur, ἀναιμακτὶ ϗ ἀκονιτὶ vincunt. Ejusdem subsidii necessitatem severa antiquitas agnovit, quæ aqua & igni interdixit, quos acerbissimè multatos voluit. Hoc ne desiderarent in urbe florentissima subsidium *veteres Romani*, perfossis montibus & æquatis vallibus, immenso sumtu, *aquæductus* excitârunt, quos in eam excelsitatem leguntur extulisse, ut supra omnes urbis montes eminerent, & aquarum flumina à quadragesimo etiam milliari adducerent, urbíque infunderent. *Plin.* lib. 36. c. 15. *Lipsius* de magnitud. Rom. lib. 3. c. 11. Videbant sapientissimi orbis Rectores in thesauris suis principe loco collocandam esse aquam, & vel auri omnis impendio hoc *in necessitatibus subsidium* comparandum: quæ causa, quòd in unicum *aquæductum Caius Cæsar* & *Claudius* 750000. coronatos impenderint. Si quibus fortè in locis, quæ habitari & ab hominibus frequentari naturæ parens vult, subsidium hoc hominibus & jumentis recreandis idoneum neget terra, neget cœlum, ex inexhausto divinæ bonitatis penu mirabili ratione promitur. Vel enim ex amaris, miranda μεταμορφώσει, dulces fiunt: *Exod.* 15. v. 25. vel ex arida rupe baculo percussa, divino imperio, eliciuntur: *Exod.* 17. v. 6. vel ex arboribus, admirando naturæ instituto, defluunt. Est enim *Ombrio* Insula inter fortunatas præcipua, quam, *Ovetano* & *Martyre* testibus, nullæ rigant scaturigines, nulli fluvii, nullæ pluviæ, & tamen incolis non desunt aquæ. Arbor enim in Insula frequens est, ferulis haud absimilis, è cujus stipite, ramis & foliis quotidie, summo crepusculo, tanta aquæ distillat copia, ut incolis & jumentis in singulos dies abundè aquarum sit: etsi ad primum emicantis solis jubar omnis in arbore aqua evanescit, & nebula, quâ, recenti adhuc crepusculo, tota obumbratur, penitùs dissipatur. Similem habet arborem novi orbis urbs *Temistitam*, quam & *Mexicum* appellant, quæ tamen aquam non foliis ramísve sponte reddit, sed caudice terebrato fundit.

Secretum temperantiæ jure quoque aquas *Ambrosius* appellavit: qui enim aquarum & Insularum recessus habent, rarioribus ferè hominum commerciis inquietantur, minúsque vitiorum trahunt exterorum, & insularum contenti bonis peregrina gulæ illicia & irritamenta negata & ignota non appetunt, paucóq; illo, quod natura desiderat & loci solitudo subministrat, moderatè & jucundè fruuntur: longè feliciores continentis habitatoribus, qui luxuriæ & intemperantiæ fomites ex omnibus ferè orbis angulis conquirunt, naturam onerant, & facto in eam intemperantiæ impetu in ipso ætatis flore opprimunt. Atque hæc causa, quòd antiqua *monasteria*, quæ pietatis & temperantiæ scholæ erant, non in urbibus populosis, sed in solitudinibus & insulis excitari consueverint, ut à profani vulgi commerciis abstracti religiosi pietatis & temperantiæ stadium inoffenso pede decurrerent. Tam enim nihil pietatis & temperantiæ cursum remoratur, quàm luxuriosi seculi conversatio & exemplorum pravitas. Quam ob causam *Antonium Eremitam* dixisse accepimus; *lethalem esse piscibus extra undas conversationem, neque minus monachum in periculum cœlestis vitæ & professionis sanctioris amittendæ venire, si nomini suo non satisfaciens moras in urbibus trahat.* Ab hac consuetudine quàm longè abierint nostra secula, loquuntur monachi recentes, loquuntur monasteria Papalia in florentissimis orbis exstructa emporiis. Utinam verò etiamnum scholæ orthodoxæ, in quibus in Ecclesiæ & scholarum spem juventus alitur & educitur, aliquanto à corruptis vulgi moribus remotiores in *temperantiæ secretis* aperirentur, ut temperantiæ ac frugalitati assuesceret juventus, & ad Ecclesiarum scholarúmque ministeria rectiùs præpararetur! Eò enim, proh dolor, res jam

rediit,

rediit, ut iis in locis, in quibus publicæ scholæ, magnis Magnatum sumtibus, sunt apertæ, frequentiores ferè hospites habeant Bacchi, Cereris & Veneris tabernæ, quam Musarum sacraria, & ab humanitate nulli ferè alieniores sint, quàm qui humanitatis profitentur studia. Quam hîc opus esset *temperantiæ secretis*!

Sterilitatis denique *alimentum* aquas appellat *Ambrosius*, verissimé: Aquis enim terra non irrigata sterilitate perpetua infamis est. Quàm ingemiscimus, quàm cœli opem imploramus, cùm æstivis diebus arva nostra pluviæ destituunt, & sitibundi hiant agri, marcescunt ac contabescunt plantæ & fruges! Omnis spes nostra in aquis pluviis est: famem illæ à nobis, ab agris nostris sterilitatem arcent. Quid *Ægyptus* esset sine *Nilo*? Quid *India* sine *Gange* & *Indo*? Quid sine *Euphrate Mesopotamia*? sine *Nigro Africa*? sine *Zaire* regnum *Congianum*. Steriles & infelices arenarum cumuli essent, quæ modò, fluminum suorum ope, regiones sunt fertilissimæ, felicissimæ. *Arabiam felicem*, fontium, fluminum, pluviarum & stagnorum expertem nisi nocturni rores irrigarent, quàm, quæso, infelix esset? Pulchra de hoc aquarum encomio sunt *Plinii* verba lib. 31. c. 1. *E cœlo cadentes aquæ omnium terrâ nascentium causâ fiunt, prorsus mirabili naturâ, si quis velit reputare ut fruges gignantur, arbores fruticésque vivant, in cælum migrare aquas, animámque etiam herbis vitalem inde deferre: justa confessione, omnes terræ quoque vires aquarum esse beneficii.* Sed & alio nomine sterilitatis alimentum aquæ sunt, iis præsertim populis, à quibus mansuetior Ceres exulat, quales è *septentrionalibus* nonnulli sunt; quibus cùm terra panem neget, mare exhibet: è piscibus enim sole siccatis & comminutis panes conficiunt suave *sterilitatis alimentum*. *Daniæ* sinus *Limicus* tantùm fundit piscium copiam, ut fertilium agrorum vicem accolis præbeant.

Hactenus *externas* quoque aquarum *commoditates* è multis paucas monstrâsse me arbitror, & utilissimas esse aquas evicisse: quæ prima epænetici hujus sermonis particula. *Ab utilitate* jam ad *pulchritudinem* commendandam transeo, per summa saltem ejus fastigia levi pede decursurus.

Gemmas à pelluciditate commendamus & in precio habemus: Quid aquis pellucidius & purius? à quibus gemmis quoque pelluciditas: nec enim aliud videntur gemmæ pellucidæ, quàm aqua quædam solidata variísque coloribus picta. De aquarum pelluciditate admirandum illud est, quod Urinatores ex imo, quantumvis immenso mari, solem, lunam & innatantia navigia spectare possint. Quæ gemmæ tanta possit esse pelluciditas, ut oculorum aciem per 50. aut 100. passus profunditatem transmittat? Aquarum ea pelluciditas est: tam enim altè vel altiùs se dimittunt Urinatores margaritarum piscatores. Ut non audiendus hîc sit *Ælianus*, qui humani oculi aciem ad maris interiora ultra 30. passus pertingere non posse scribit. In *Frisia* certè, quiescentibus maris fluctibus, urbium turriúmque olim demersarum vestigia in profundo, è littoribus & navigiis prospectantur: ut in diebus Canicularibus memorat *Maiolus*. Parùm ergò abest à cœli puritate aqua, quam & materiam illi præbuisse doctissimorum opinio est, originem ipsa appellatione שמים indigitante. Cum pelluciditate conjuncta est lucendi vis, quæ nativa aquis, earúmque pulchritudinem insigniter auget, quâ ætherem quoque vincunt & astra æmulantur. Unde *Franciscus Patricius* terrestrem lunam appellat mare, & Lunam, cœlestem aquam. Nec dubitat quin, si quis è sublimi aere noctu majores aquas & maria despectaret; tantundem ferè luminis sint sparsura, quantum sublimia cœli astra ex imo terræ noctu suspectata. Accedit patentissima planities, quæ excursum oculis quàm longissimum permittit, cum nullis vel montibus assurgant, vel vallibus deprimantur, nisi violenta tempestatum agitatione sedibus invitæ moveantur aquæ: quam tamen ipso illo momento repetunt, quo vis inimica ventorum quiescit, & agitationis impetus frangitur. Quæ causæ mihi videntur esse cur aquarum obtutu tam impense delectemur, & tristitiæ nubeculam animo depulsuri aquas navigio vecti ingrediamur, & æquora sulcare in deliciis habeamus. Addo & colorum, quibus pictæ sunt aquæ, tantam varietatem, ut in floribus majorem vix sit reperire. Aquas videas, marinas præsertim & fontanas nonnullas cæruleas, virides, nigras, albas, rubras, purpureas, violaceas, flavas, lividas, &, quod mireris, in eodem mari, ventis diversis spirantibus, diversè coloratas. Quid? quod in *Idumea* fons sit, qui quater in anno colorem mutat, pulverulento, sanguineo, viridi & limpido conspicuus, è quibus singulis ternis mensibus unum assumit. Nec tamen omnia hæc sunt pulchritudinis documenta. Densam & obscuram terræ molem quantopere exornent aquæ vix dici potest. Annulo gemmam micantem si detraxeris, perit gratia, & vix adspectum meretur nudum metallum: gemmam si inserueris præfulgidam, omnium in se oculos protinus convertit, amorem & admirationem sui concitat, æstimatores invenit. Idem terræ accidit: quæ ingens veluti annulus, cui insertæ gemmæ micantissimæ, maria, flumina, lacus: absq; quibus si esset, rude metallum, imò chaos informe videri terra posset:

Monstrum, horrendum, informe ingens, cui lumen ademtum.

Taceo jam, quæ & ipſa aquarum augent pulchritudinem, aquatilium monſtrorum prælia è littoribus marinis proſpectata: & amœniſſima nemora ac prata, quibus totus Orientis Oceanus refertus, *Plin.* lib 13. c.25. Quale *Parium* quoq; mare, quod orbem novum alluit, tot herbis virentibus & florentibus implicatum, ut navigari non poſſit; obſtantibus, retium more, longiſſimis herbarum ramuſculis, qui adoleſcendi luxuria quindenis quandóq; palmis ſupra mare attolluntur. Ad aquarum decora Inſulas quoque refero, quas aquæ formant & firmant, quæ totidem penè manus ſunt, quas maria pererrantibus novásq; terras quærentibus divina bonitas porrigit. Utq; terræ gratiam conciliant aquæ, magno numero hinc indè diſperſæ: ſic aquis gratiam rependunt Inſulæ tanto per maria numero diſſeminatæ, ut iniri vix poſſit. In unico enim illo maris tractu à *Mozambique* ad *Malacram* uſq; inſulæ occurrunt 12000. In Indica Orientalis Oceani plaga inſulas, Neptuni filii numerârunt 24000. Hæc aquarum decora faciliùs cogitaveris, quàm dixeris. Illud certè ſpectatu jucundum videre inſulas in aquis natantes, & littoribus modò appropinquantes, modò ab iis recedentes, eo duello quaſi invicem colliſas pugnare; quales in *Vadimonis* lacu in *Italia* plures viſuntur. Hæc de aquarum pulchritudine.

Admiranda aquarum ſi perſequi vellem, præfationis modum excederem. Unius enim *Nili* admiranda opuſculum hoc pepererunt: pauca tamen de illis quoque attexam, ut quibus nihil utilius, nihil pulchrius eſt, admirabilius quoq; nihil eſſe palàm fiat?

Hic verò unde ordiar? Dubiam certè copia optionem facit, ubi ſingula penè de prærogativa certant. Libet tamen ab aquarum admirando robore auſpicari: Hoc, ubi invaluit, nulla hominum vis frangit. Montes in planitiem rediguntur, valles implentur, ſaxa aguntur, ædificia rapiuntur, & quicquid furori occurrit, fertur, agitur, ſpe evadendi nulla. Vera me dicere diluviorum calamitates teſtabuntur, quibus nullæ humanum genus & univerſam hanc ſublunarem machinam majores unquam exercuerunt. *Noachicum, Atticum, Theſſalicum* mitto, quorum damna eloqui noſtræ non eſt infantiæ. Particularium diluviorum recentiores calamitates loquantur nobis *Roma*, quam *Tiberis*; *Florentia*, quam *Arnus*; *Verona*, quam *Atheſis* ſæpenumero inundavit. Quid maria? Teſtes hic laudo *Conſtantinopolim, Achaiam, Flandriam, Hollandiam* & *Friſiam* inprimis: in qua ante annos 404. ſupra 100000. hominum maris furor abſumſit paucíſq; annis 80000. Ante annos 202. in *Hollandia* ruptis Oceanus repagulis maritimas prope Dordracum regiones miſerrimè vaſtavit, & 16. ampliſſimas parochias cum innumera hominum multitudine hauſit. Humanum hic omne robur eliditur: nullum niſi in fuga præſidium, quod tamen & ipſum invaleſcentibus aquis, nullum. Prævertit enim fugientes undarum velocitas, & inopinatos plerumq; obruit. Vulgus quidem igne nihil violentius æſtimat; fallitur: Aquis violentius in natura nihil eſt. Lenta ſunt incendia, citata diluvia: Unius illa urbis paſtu ſatiantur, hæc totas hauriunt provincias: illorum vim uno præponendum momento frangunt aquæ: hæc formidant flammæ, tanquam certiſſimam perniciem. Quo argumento olim *Ægyptii* Deum ſuum *Chaldæorum* Deo longè valentiorem eſſe demonſtrârunt. Hi enim Numen ſub ignis, illi ſub columnæ, quam *Nilum* appellabant, ſpecie venerabantur. Cúmq; aliorum deorum ſtatuas *Chaldæorum* Deus conſumſiſſet, in *Ægypto* tandem vires eum periclitari, & in duello quaſi cum ipſo committi voluerunt. Annuunt *Ægyptii*, & columnam excavatam perforatámq; obſtructis cera foraminibus, aqua replent: dies certamini dicitur: Ignem ſuum producunt *Chaldæi* Deóq; *Ægyptio* admovent: qui ſimul atq; *Nili* columnam attigit, liquefacta cera, viam, per patentia foramina, aquis aperuit, quarum affluxu extinctus è veſtigio Chaldæorum Deus evanuit, cunctis ludibrium factus, qui omnibus terrori erat. De robore aquarum pulchram *Plinii* ſententiam adjicio, ex lib. 31. c. 1. *Opifex natura per undas fluctuſq; ac reciprocos æſtus, amniumq; rapidos curſus improbas exerit vires, nuſquam potentiâ majore, ſi verũ fateri volumus. Quippe hoc elementũ cæteris omnibus imperat: terras devorant aquæ, flammas necant, ſcandunt in ſublime, & cœlum quoq; ſibi vendicant ac nubium vitalem ſpiritum ſtrangulant.*

Eſt porrò admirabilis aquarum *motus*. Etſi enim graves naturâ deſcendunt aquæ, tantum tamen nullius eſt montis faſtigium, quin aſcenſu ſuperent, vel ex abyſſo elevatæ. Hinc videas à montibus celſiſſimis pleraq; eructari flumina, ut 1. Meteor. c. 13. Philoſophus oſtendit. Bactrum, Choaſpen, Araxen & Indum *Parnaſſus* fundit; Phaſin, Gangem *Caucaſus*; *Lunæ montes* Nilum; Euphratem & Tigrim *Armeniæ montes*; Acheloum *Pindus*; Danubium, Rhenum, Rhodanum, Padum *Alpes*; Albim *Bohemici montes*; *Sarmatica juga* Viſtulam; *Hungarica* Tibiſcum; Garumnam *Pyrenæa*. Et quod non à montibus nobile flumen? Nec è montibus tantùm, ſed & ſupra montes flumina. *Fatigar Æthiopiæ* regnum montem habet præruptum, in cujus ſummo vertice ad 2000. paſſ. lacus patet. Cuidam *Hiſpaniolæ* monti lacus innatat piſcium dives, paſſ. in ambitu 3000. qualem *Apuliæ* quoque mons in *Italia* exhibet: In *Scotia* ad Oſtium *Forteæ* fluminis è medio mari altiſſimus ſcopulus attollitur, è cujus ſummo vertice dulcis aquæ fons largiſſimus exilit: è ſicco

nempe

nempe celsóq; saxo, aquæ; ex amaris dulces. Admirandos marium motus quis omnes enumeret? Torsit Philosophorum ingenia hactenus, & deinceps torquebit affluxus & refluxus, quo singulis plerunq; senis horis affluit aut refluit undabundum mare, lunæ, ut doctis placet, æmulum: quippe quod ascendente luna ad diei aut noctis culmen, hoc est, meridiem aut mediam noctem, intumescit & ad littora procurrit: descendente ad occasum vel ortum, concidit & littora destituit. Taceo jam perpetuum Oceani motum ab oriente in occidentem, quo primum mobile imitatur, & à *Septentrione* in austrum. Taceo *horarios, hebdomaticos, menstruos, trimestres, semestres, annuos & septennales* motus, quibus omnem humanæ mentis indaginem maria eludunt. Quàm ille, Deum immortalem! est admirabilis quem purgationem appellamus, quo continuè mare exercetur, & quicquid mortuum aut à natura maris alienum ad littus propellitur & in terram ejicitur. Quàm quæso admiranda, quàm ἀνεξερεύνητα καὶ ἀνεξιχνίαστα sunt cœli opera. Fontis in mentem jam venit, quem *Seneca* lib. 3. quæst. nat. cap. 26. laudat: Est is in *Chersoneso Rhodiorum*, maris hâc parte æmulus: Post certa enim intervalla ex imo fundo concitatur, totus perturbatur, & sordida quævis injecta ejicit, nec quiescit priùs, quàm ejectis omnibus sordibus puritati suæ sit restitutus. Similem *Germania* nostra habet juxta *Rhenum*, non procul ab *Andernaco*. In *Gallia* quoq; fontem videre me memini, qui quantivis ponderis injectos lapides rejicit & eructat. Claudat denique in hac mirabilium motuum theoria, agmen, *Euripus*; angustum, inter *Aulidem Bœotiæ* portum & *Eubœam*, fretum; quod diei noctisq; spatio, motu reciproco, septies agitatur, tanto impetu, ut, ventis repugnantibus, plena secum rapiat navigia: exemplo prorsus singulari & admirando: quod cùm altiùs & diutiùs secum librâsset *Aristoteles*, minúsque voti compos evaderet; & animi ægritudine morbum fertur contraxisse, è quo nunquam convaluerit. Etsi ex indignatione in fretum se præcipitâsse ab aliis perhibetur: ut dicterium indè sit natum. *Quoniam Aristoteles non cepit* Euripum: *Euripus cepit Aristotelem.*

A *motu* in *profundum* descendimus, quod tantum in aquis nonnullis ut omnis scrutantium industria hactenus frustrà fuerit occupata. Scribit enim *Priscianus* Cæsarem maximam maris profunditatem compertisse stadia 15. quæ milliare nostrum dimidium non conficiunt: sed curiosiores recentiorum observationes nonnullæ 30. stadia deprehenderunt: aliæ 80. quæ milliaria duo & semis conficiunt, quanta celsissimorum montium altitudo quoq; æstimatur. Aquilonaria tamen maria circa *Norvegiam* prorsus inscrutabilia sunt: Funes in ea missi cum ingenti pondere, qui capacissima navigia implerunt & fundum tamen neutiquam attigerunt. Unde nullus in locis illis anchorarum usus: sed annulis saltem, qui eminentibus inserti scopulis, navigia retinentur.

Monstra jam non attingam portentosa, quæ aquarum augent miracula, quorum in præfationis hujus exordio injecta brevis mentio. Ad alia propero. Jam enim pridem in admirandorum referri censum gestiit affectionum & proprietatum varietas, quæ maxima in aquis. Frigidas & calidas aquas non miramur, quia frequentissimas omniparentis terræ sinus fundit. Hoc tamen non nemo fortean mirabitur, quod modum in nonnullis excedant *calor* & *frigus*. Ad *Nonacrim* enim *Arcadiæ* tantæ frigiditatis aqua fluit, ut in progressu præ nimio frigore, lapidescat. *Stygis* aqua in *Arcadia* nimio gelu Alexandrum Magnum fertur extinxisse. Ex *Africæ* monte *Azgan* tam gelidus fons manat, ut nulli mortalium sit potabilis. Idem caloris excessus in multis deprehenditur. Narrat *Boccatius* tam tenacis esse caliditatis fontem *Caminam*, ut aqua ejus vino mista per integrum triduum calidam exhibeat potionem. *Pannoniæ* Budenses thermæ tam sunt fervidæ, ut nisi temperentur, balneis idoneæ non sint: & tamen, ut in Pisanis ranæ, sic pisces in illis vivunt, qui in frigidam illati moriuntur. Quibus similes fervidi quidam Hetruriæ, & alius Africæ lacus, piscibus abundantes, qui frigidam ferre nequeunt. Quid memorem jam admirandas thermarum virtutes quibus in *Germania* nostra insignes sunt *Carolinæ, Wisbadenses ad Mœnum, Badenses, Helveticæ & Machicæ, Ferinæ, Piperinæ, Toplicenses, Hirsbergenses, Aquisgranenses.* In Italia: *Apponenses, Lucenses, Pisanæ, Perusinæ; Puteolanæ, Cumanæ, Neapolitanæ, Viterbienses.*

Sed & hoc videri minùs mirum possit, quòd aquarum aliæ calidæ, aliæ frigidæ perpetuò sint. Illud admirationem auget, quòd iidem fontes modò calidi, modò frigidi manent, qualem *Augustinus* libro 21. de civitate Dei, cap. 5. & Solinus cap. 32. apud *Garamantas* esse scribunt, qui, cùm mundum à calore vesper temperat, ab occasu incipit ità incalescere, ut, ni tactu abstineas, noxium sit tetigisse: rursus cùm ortus solis incanduit & radiis fervefacta sunt omnia, sic glaciales eunt scaturigines, ut hauriri etiam à sitientibus non queat. Talem *Epirus* quoque habet, qui mane tepet, meridie friget, vespere calet, nocte media æstuat, & sub diluculum rursus tepescit: Cui similis solis fons in provincia *Cyrenaica*. Dissimilis nonnihil *Scotiæ* lacus prope *Nidrossam*: cujus aqua summa frigida, ima fervida: quæ fune demissa opsonia excoquit.

Dulces

Dulces & amaras salsásque aquas jam intueamur, quas frequentia quidem minùs miras nobis facit, varietas autem saporum in iisdem admirabiles. Invenit enim in *Troglodytis* lacum *Juba* ter noctu, mutatis vicibus, amarum & dulcem, totiésq; interdiu; quem malefica vi insanum appellavit: albis scatentem serpentibus 20. cubitorum. Sed & *Germania* nostra exemplo penè simili in sui admirationem nos rapit. Lacus in *Pomerania* prope *Stetinum* est, in quem *Odera* spirantibus Austris dum influit, aquæ sapidæ & suaves redduntur, contrà, flantibus intensè Borealibus, salsæ. Quam si quis ad ventos hosce saporum varietatem retulerit, à vero fortean haud multùm aberraverit. Nam & lacus habet orbis novus, qui ad Austrum dulces, ad Septentrionem amari sunt. *In Hispaniolæ* provincia *Caizimu* admirabilior fons est, cujus aqua summa dulcis, media salsa, infima prorsus amara. Alias aquarum virtutes non attingo, quas à sulphure, bitumine, alumine, nitro, ferro, plumbo, cupro, ære, argento & auro trahunt. Unde acrium & acidorum fontium magna varietas, virtus in morbosis corporum affectibus curandis maxima.

Sunt & pondera aquarum diversitate mira, per quæ aquis aquæ innatare, & aliæ aliarum commercia ac misturas refugere deprehenduntur. Dulces enim mari invehuntur tanquam leviores: & supernatat in *Lario Addua*, in *Verbano Ticinus*, in *Benaco Mincius*, *Ollius* in *Sevinno*, *Rhodanus* in *Lemanno*, *Alpheus* mare transcurrit illibata aquarum suarum dulcedine. *Peneus Thessaliæ* fluvius *Eroton* accipit quidem sed aquis ejus non miscetur, olei instar supernatans. Alia aquarum miracula desideratis? Exhibebit *Syria Sabbathium* amnem qui olim sex diebus fluxit plurimus, septimo autem evanuit, & siccum alveum destituit, labore post septimum instaurato. Testis *Joseph*. l. 7. De bello Jud. c. 24. Tandem verò per CHRISTUM abrogato Judæorum Sabbatho, quasi religioni consentiens nunquam exsiccatus fuit. Dabit *Tamaritia Cantabriæ* fontem, qui singulis diebus duodecies, aliquando & vicesies siccatur & redundat. Alios taceo, qui incrementa & decrementa cum maribus communia habent: etsi per locorum intercapedinem nihil cum iis videntur commune habere: qualis ille in *Hiberniæ* excelsi montis vertice, qui maris æstum quotidie imitatur: Etsi nonnulli quoque sunt, qui contrariam marinis fluctibus præ se naturam ferunt, & detumescente mari crescunt, intumescente minuuntur: de quibus *Strabo* lib. 3. & *Plin.* lib. 2. cap. 97. Fontes habet *Sicilia Pythiam* & *Chalcis Arethusam*, in quibus omnia fluitant, nihil mergitur. Contrarios *Hispania*, *Lusitania*, *Æthiopia*, in quibus nihil fluitat, omnia merguntur. Quid illas aquas memorem, quæ levi motu concitantur, & vel in lætitiam vel in furorem erumpant? In *Halesina* regione fons est tranquillus & placidus, cùm ad ipsum siletur: At verò tibiis insonantibus exultabundus ad cantum elevatur, & quasi modulorum captus dulcedine ultra margines intumescit. Qui verò in *Cyrenaica* provincia est *Hammonis* fons, tacta hominis manu rupe immodicus exsurgit, actísque arenis, ut æquor, fluctibus sævit. Sed truculentior est lacus *Scafagiolus* in *Appennino*, in quem si quis forte lapidem aut lignum conjecerit, mox circumfusus aer in nubes cogitur, & tanta procella excitatur, ut integrum diem continuata arbores evellat, & proxima animantia perimat. Ejusdem naturæ lacum & ulterior *Hispania* in excelso monte habet: Sed & *Helvetia* habet qui bacillo vel lapide injecto commotus protinus fremit & intumescit, margines transit, & larga inundatione vicinos agros populatur: quam ut *Helvetii* calamitatem declinent, publicis edictis mandant, ne quis in lacum, vel lapidem, vel lignum injiciat. Si quid tamen casu illabatur, non irritari perhibetur. Mira quoque aquarum in mutandis coloribus vis est. *Antandri* amnem bibentes omnes pecudes colorem mutant. *Scamandrum* quæcunque oves bibunt, quemvis colorem in fulvum mutant, unde & *Xanthus* amnis indigitatus. Duo flumina habet *Thessalia*, quorum unum albas, alterum nigras reddit oves. Eadem *Æleonis* & *Axonis* in *Macedonia*, *Sybaris* & *Cratidis* in *Calabria* indoles est. Injecta ligna quæ in saxa mutant aquæ oppidò multæ sunt; de quibus *Plin.* lib. 31. c. 213. Habet hasce aquas *Hetruria*, *Campania*, *Hybernia*, *Polonia* & *nostra Germania*. In *Tercera* Oceani Atlantici Insula fons est, qui quævis injecta ligna in lapidem mutat solidissimum: miraculi insigne documentum habetur in arbore fonti proxima, cujus radices & trunci pars, quæ aquâ fontis lambitur, ad æris soliditatem induruit; alterius ab aquis aversi lateris partes ligni naturam & mollitiem retinent. Eadem vi pollere crediderim *Ostrogotorum* torrentem quendam, qui *Horcopiam* urbem alluit, in cujus alveo multarum rerum figuræ saxeæ reperiuntur, quas arte confectas putes, humanorum corporum trunci, manus, pedes, digiti, nullo ordine hinc indè sparsi. Ut credibile sit ingens aliquando circa torrentem prælium commissum, multósque homines trucidatos, & vel totos vel in frusta concisos in torrentem projectos, & aquæ vi, temporis lapsu, in saxa conversos: quam conjecturam firmat, quod *Albertus Magnus* refert, in *Danico* mari repertum aliquando arboris ramum, cum nido & aviculis, quæ omnia in lapidem fuerint transmutata, aviculis etiam nativum pennarum colorem retinentibus. Cui narrationi tantò promtiùs fidem habeo, quia *Strabo* lib. 5. meminit fluminis *Campaniæ*, *Sylaris*, cujus aquæ injecta quævis in

saxum

saxum mutant, nil immutato colore pristino. Nec hoc miraculo caret, quòd fontium nonnulli extractas faces accendunt, accensas extinguunt: de quibus *Plin. Augustinus*, *Isidorus*. Si aquas esse dixero, quæ vini instar inebriant, exempla non deerunt: laudat hoc nomine *Lyncestium* amnem *Naso*.

Hinc fluit effectu dispar Lyncestius amnis,
Quem quicunque parùm moderato gutture traxit.
Haud aliter titubat, quàm si mera vina bibisset.

Quales in *Paphlagonia* & agro quoq; *Caleno* fontes esse perhibentur. Pestiferas quoque aquas in hominum & brutorum perniciem è sinu suo natura profert. Lacus est *Crobsitaria*, qui bibentès & lavantes interimit: quo pernicialior *Amspectus*, qui lethali odore etiam supervolantes aves enecat. In *Sepusio Poloniæ* tam pestilens aqua est, ut afflatu solo quævis animalia exanimet. *Lycus* in *Leontinis* fons tertio die interimit. Mitiores nonnihil aquæ sunt, quæ valetudinem tantùm labefactant, & certas corporis humani partes infestant, quales *Germanicus Cæsar* olim trans *Rhenum* in trajectu maritimo invenit, quæ bibentibus, intra biennii spatium, dentes eliserunt & corporis compages solverunt: Aliæ in *Eubæa* sunt, quæ bibentes à mente abalienant: in *Alpibus*, quæ monstrosis strumis bibentes deformant, & guttura ad umbilicum usque extendunt, ut rejici in humeros possint.

Hæc tamen damna abundè compensant salutares aliæ aquæ, quas ubivis ferè terrarum natura fundit: quas inter excellere perhibentur in *Italia Baianæ* & *Puteolanæ*, quæ omnibus omnium humani corporis partium morbis, ad miraculum usque, medentur: ut vires suas omnes in illum *Campaniæ* sinum natura effudisse videatur. Novercali tamen in *Germaniam* nostram animo non fuit, quam tot thermis salutaribus, tot fontibus acidis ditavit & beavit, ut *Italiâ* æquis carere animis possimus.

Multa quidem hactenus de aquarum mirandis dixi: sed plura omisi: Ex iis tamen, quæ dixi, liquere jam arbitror, ut aquis nihil utilius, nihil pulchrius; ità & admirabilius esse nihil: dignúmque laude facinus moliti, qui in nobilissimi hujus divini operis contemplatione & commendatione animum vocem & calamum occupant. Quos inter & meum profiteor nomen, etsi non habeo quid promittam, nisi conatum, cujus specimen in ADMIRANDIS NILI edere, & posteritati relinquere mihi visum. *Nilum* ex omnibus aquis me elegisse non mirabitur, qui omnia penè omnium aquarum miracula in uno contineri *Nilo* audiverit. Sic enim de *Nilo* judico: Aquarum epitomen eum esse, ut magni Mundi *Homo* est, quem *Microcosmum*, seu parvum Mundum appellare, multis de causis naturæ scrutatoribus libuit. Nihil enim in magno *Mundi* theatro admiratione dignum, quod in parva hac imagine, quam hominem appellamus, ad vivum non sit expressum. Nec quicquam mihi videtur in aquis esse mirabile, quod non aliqua saltem ex parte *Nilus* æmuletur: ut ex hac nostra Commentatione patebit. Idem tamen paucis in vestibulo hoc demonstrare, à præfationis scopo alienum non erit. In arctum igitur cogemus & *Nilo* applicabimus, quæ de aquis fusè hucusque diximus: ut *Nilo* quoque nihil utilius, nihil pulchrius, nihil admirabilius esse in hoc vestibulo ostendamus. Et *utilitatem* quidem ex internis ejus divitiis & externis commoditatibus rectè veréque æstimabimus.

Internas *Nili* divitias appello greges aquatilium: quæ numero infinita, mole maxima *Nilus* exhibet. Numerum loquuntur vel agri Ægyptiorum, qui, exundante & recedente *Nilo*, piscibus quotannis quasi obruuntur: loquuntur exteræ provinciæ, in quas maximâ olim copiâ *Nili* pisces invecti. Unde passamenta *Nilotica* commendat *Lucianus*, & πολυκήτεα *Nilum* appellat Theocritus. Stupendam aquatilium molem si desideres, *Crocodilum & Hippopotamum* exhibebit *Nilus*, qui etsi maxima maris monstra non exæquant, aliarum tamen aquarum incolas magnitudine facilè superant: ut è descriptione nostra patebit. Margaritas, uniones & aurum, quibus internæ aquarum divitiæ augentur, etsi, quod sciam, non vehit *Nilus*, *Chrysorrhoas* tamen à veteribus est appellatus: quòd, ut cap. 1. ostendimus, inexhaustas *Ægypto* divitias affundat: quo sensu à *Theocrito* quoque ἀργύρεος nuncupatur.

Sed externas *Nili* nostri commoditates videamus, ipso illo ordine, quo aquarum modò commoditates enumeravimus. Et primùm quidem *Invectio commeatuum*, in alias orbis provincias, & urbem potissimùm *orbis dominam*, per *Nilum*, longè maxima olim fuit: frugibus, per varia *Nili* ostia, & alveos hanc in rem ab Imperatoribus Romanis factos, ex *Ægypto Alexandriam*, in mare *mediterraneum*, & indè *Romam*, & in universum orbem devectis. Unde *Egisippus* lib. 4. cap. 27. scribit, *Ægypti regionem feracem totum orbem terrarum frumento alere*. Quod commodum quin *Turcarum* Imperatori etiamnum *Nilus* præstet equidem non dubito. Taceo alias rerum pretiosarum ex *Æthiopia*, *Africa* & *India* in Septentrionalem Occidentalem & Orientalem plagam invectiones, quas *Nilus* promovet: ut suo loco ostendimus. *Separatorum conjunctio* quanta in *Nilo*? Ex *Ægypti* planitie ad *Æthiopes* immensis montium

tium

tium jugis circumvallatos quis penetraret, niſi viam *Nilus* monſtraret & locorum aſperitate ſeparatos conjungeret? *Itinerum compendia* in *Nilo* prædicabunt ii, qui merces ſuas ex *Æthiopia* & *India* delatas, ſecundo *Nilo*, in mare *mediterraneum* devehunt: & Romani, qui frumenta *Alexandriam*, per *Nili* alveos, tranſtulerunt: quod cum magno laboris viæque compendio fieri animadverterent, alveorum aggeres incredibili ſumtu & ſtudio conſervandos curârunt: adeò ut flammis abſumſerint, qui aggeres iſtos communis boni conſervatores rupiſſent. *Subſidium vectigalium* in *Nilo* quantum olim fuerit, vel unius *Mœridis* lacus, qui *Nili* propago, docebit, è quo ſingulis diebus 600. coronatos Rex collegit, quos in Reginæ ornatum convertit. *Portus ſecuritatis* Ægypto tantus eſt *Nilus*, ut *Nilo* ἀθανάτῳ τείχει τετειχισμένην, immortali muro cinctam *Ægyptum* ſcribat *Iſocrates*, qui & murum hunc ἀνάλωτον καὶ δυσμάχητον τοῖς ἐπιβουλεύουσι appellat: quod in *Ptolomæi* quoq; encomio *Theocritus* indigitat:

Οὐ γάρ τις δηΐων πολυκήτεα Νεῖλον ἐπιβὰς
Πεζὸς ἐν ἀλλοτρίαισι βοὰν ἐστάσατο κώμαις,
Οὐδέ τις αἰγιαλόνδε θοᾶς ἐξάλλατο ναός.

Quæ cauſa quòd *Ægyptum* olim prudentiſſimè tractandam judicârint Romani, & *Auguſtus Ægyptum ſepoſuerit*, hoc eſt, neminem illuſtrem, niſi principis conceſſu, ingredi provinciam hanc voluerit: quod videret *Nili* fluentis munitiſſimum hunc eſſe locum, tanquam clauſtra terræ ac maris, quæ quicunque vel parvo præſidio occupâſſet, contra exercitus ingentes ſe tueri, & *Italiam* fame poſſet premere. Idem cùm *Turcici* quoque Imperatores animadvertiſſent, non conquieverunt priùs, quam hunc *ſecuritatis portum* expugnâſſent, & in poteſtatem ſuam redegiſſent. *Secretum temperantiæ Nilus* quoque noſter eſt, qui vel Reges olim a vini uſu retraxit, & aquarum ſuarum dulcedine deſideria ſitientium ità implevit, ut hujus contenti potu alium non quæſiverint. Sed & alio nomine *ſecretum temperantiæ*, *Nilus* audit: Religioſis enim ſeceſſum præbet, & ab intemperantium commerciis excludit ingenti lacû *Zembre*, qui X X. Inſulas luculentis cænobiis & monaſteriis exculcas complectimur, & intra temperantiæ limites coercet incolas. Denique *ſubſidium in neceſſitatibus & ſterilitatis alimentum* eſſe *Nilum* quis quæſo inficias ivetit? *Unam*, inquit *Seneca*, *Ægyptus in Nilo ſpem ſuam habet: proinde ſterilis annus aut fertilis eſt, prout ille magnus influxerit aut parcior: quicquid non adiit, ſterilitate ſqualidum jacet. Ægyptus*, inquit Plinius, *in XII. cubitis famem ſentit: in XIII. etiamnum eſurit: XIV. cubita hilaritatem adferunt. XV. ſecuritatem. XVI. delicias.* Non igitur cœli, ſed *Nili* opem arator *Ægyptius* implorat, quando pluvias in *Ægypto* cœlum nullas fundit: Unus autem *Nilus* defectum pluviarum tam largè compenſat, ut de fertilitatis prærogativa cum omnibus ferè orbis provinciis certet *Ægyptus*. Sufficiant hæc ad commendandam *Nili* utilitatem: de qua prolixè agit præſens noſtra commentatio.

Ad *pulchritudinem Nili* tranſeo, quæ tanta eſt, quanta nullius fluminis. *Illa*, exclamat Seneca, *facies pulcherrima eſt, cùm jam ſe in agros Nilus ingeſſit: latent campi, opertæque ſunt valles, oppida inſularum more extant: nullum in mediterraneis niſi per navigia commercium eſt, majórque eſt lætitia gentibus, quò minùs terrarum ſuarum vident.*

Quid Inſulas commemorem, quas innumeras fore jucundiſſimo ſpectaculo *Nilus* facit, intérque eas nobiliſſimam, *Meroen*, quam *Sabæ* Reginam olim habuiſſe doctorum opinio eſt. Sed quid *Meroen* dico? ipſa *Ægyptus*, *Nili* Inſula eſt; quâ an pulchrius quidpiam natura protulerit, equidem neſcio. Invenias illic è *Nilo* derivatos lacus tot avium & piſcium gregibus habitatos, ut è feneſtris piſcari, & avibus inſidiari, maxima voluptate, liceat. Videas inibi, qui lætioris vitæ genus colunt, interdiu noctúque cymbis errare ludibundos, effuſóſque ad captandas auras virorum ac mulierum cœtus citharis muſiciſque concentibus ſe ſalutare. Delphinorum & Crocodilorum prælia, quanta voluptate quoque in *Nilo* ſpectentur, ſuo loco oſtendimus. Taceo arundineta pulcherrima, quibus quaſi denſis nemoribus *Ægyptum* undiquaq; *Nilus* conſerit, & multa voluptatis ſpectacula præbet, altis iſtis Crocodilorum & Hippopotamorum ſtabulis. Denique admiranda Nili non capit præfationis modulus, quibus enarrandis & commendandis omnis hæc commentatio occupatur. *Quid non eſt in Nilo mirandum? aut quomodo fieri poteſt ut non totus è miraculis conſtet?* exclamat *Ariſtides*. *Omnia* inquit Achilles Tatius, *est Nilus, fluvius, terra, mare, palus: admirationéque omnino dignum eſt, eodem in loco navim & ligonem, remum & aratrum, temonem & tropæum, nautarum & agricolarum caſas, piſcium & boum cubilia ſpectare:* Quæ diverſiſſima & maximè contraria *Nilus* in *Ægypto* omnia conciliat, ut in procemio & tractatu oſtendimus. In admirationem *Nili* longitudo omnes rapit. Intra *Capricorni tropicum* & *Æquatorem* ſurgit, & *Cancri* tropicum tranſcurrit, à meridie in Septentrionem, tanto viarum tractu, ut perpetuam ſimul diem & noctem, æſtatem & hyemem habeat; quod unius, inter omnia flumina, *Nili* privilegium. In tanti verò

ſpatii

ſpatii emenſione hoc vel maximè admirandum, quod contrariâ reliquis fluminibus naturâ nullo ferè declivi curſu, ut multis videtur, in altum tendat. A *Nilide* enim *Alexandriam* uſq; maxima graduum dimenſio eſt: Unde in locis nonnullis ex altiſſimis montium jugis tanto fragore præcipitatur, ut aurium uſum accolis eripiat. Nec minùs admirationis habent ſtrata & perpetua *Nili* incrementa & decrementa, quàm affluxus & refluxus maris, quæ omnis ætas admirata in anxia cauſarum indagine huc uſque ferè irrito conatu hæſit, ut prolixa teſtabitur diſputatio, cap. 8. à nobis inſtituta. Alias *Nili* affectiones admirandas & ſingulares in hac commentatione prolixè perſequimur, cap. 9, 10, 11, 12, 13, & ſeqq. quas nominâſſe hic ſuffecerit: ſunt eæ, aquarum Niloticarum *nigredo*, quæ nomen huic flumini apud *Hebræos* & *Græcos* dedit: *dulcedo* tanta, quanta fluminum ſub ſole nulli obtigit: ab exhalationibus & putredine *immunitas*: quæ ſolius *Nili* prærogativa à veteribus prædicatur: *ſalubritas* & *fœcunditas* admiranda, quam loquuntur animantium in aquis hiſce mira copia & magnitudo, frugum in *Ægypto* abundantia, caprarum, ovium & mulierum Ægyptiacarum inaudita *πολυτεκία*, quam adeò promovent aquæ *Niloticæ*, ut, *Senecâ* teſte, viſcera longiore ſterilitate præcluſa ad conceptum relaxent: quæ ſingula opuſculum hoc noſtrum docebit, &, quod dixi, *Nilo* nihil utilius, nihil pulchrius, nihil admirabilius eſſe demonſtrabit.

A *Nilo* jam ad vos, *Viri præſtantiſſimi, doctiſſimi, prudentiſſimi*, me converto, dedicationis hujuſce rationes paucis redditurus. Obloquentes audire videor: Quid urbi noſtræ cum *Nilo* vel *Ægypto* commune, & quo nexu à *Nilo* ad urbem *Serveſtam* ejúſque Rectores fluit oratio? Me ergò ut expediam audite. *Nilum* intra urbem *Ægypto* haud abſimilem habetis, & quid *Nilo* cum urbe veſtra commune ſit quæritis? *Nilus* ille, *cerevisia* noſtra, quam coquimus, cui ſanè multa cum *Nilo* communia. Ut enim aquarum miranda *Nilus* ferè omnia complectitur, ſic pleraq; *Nili* noſtra *cerevisia*.

Ignotos *Nili* fontes vetuſtas judicavit: Quis fontes *cerevisiæ* noſtræ tantâ venarum & colorum varietate è viſceribus terræ ſcaturientes ſcrutetur? Ex innumeris fonticulis prima *Nili* flumina aiunt colligi. Quis neſcit *cerevisiæ* fontes in urbe noſtra innumeros ferè eſſe per publicas plateas & privatas ædes diſperſos, qui certè haud minùs admirationis habent, quàm ipſi *Nilotici*, quorum natale ſolum in ferventiſſimis *Æthiopiæ* receſſibus: noſtrorum verò in arido & arenoſo ſolo, à quo aquam exſpectare, è pumice videtur eſſe aquam poſtulare: & tantâ tamen ubertate fluit, ut majori in locis montoſis non poſſit. E *Nilo* primam in orbe *cerevisiam* aiunt eſſe coctam: vetuſtiſſimi certè fontes noſtri, ſi non primi in hiſce terris, inter primos tamen cum *Cerere*, quæ urbi noſtræ nomen dediſſe perhibetur, ſuave commercium iniiſſe, ipſique *Baccho* palmam feciſſe dubiam videntur. Curſu ſuo *Nilus* tanta terrarum ſpatia emetitur, quanta aliorum fluviorum nullus. Quid noſter *Nilus*, noſtra, inquam, *cerevisia Serveſtana*? Nonne longè latéque excurrit, & tot provinciarum ſpatia percurrit, quæ nulla *Europæ cerevisia*? Bibit hunc noſtrum *Nilum* tota *Saxonia* inferior & ſuperior: bibit *Marchia*: bibit *Bavaria*: bibit *Palatinatus*: bibit *Silesia*, *Boruſſia*, *Pomerania*: imò & *Italia* bibit, ut è fide dignis audire me memini. Utque in deliciis olim habitæ aquæ *Niloticæ*, Regúmque menſis appoſitæ: ſic noſter quoque *Nilus* Magnatum menſis adhiberi, & magno apud eos in pretio haberi ſuevit. *Ægypti* Rex *Philadelphus* cognomento cùm *Berenicem* filiam ſuam *Aſſyriæ* Regi deſpondiſſet, magnis impenſis curavit *Nili* aquam in *Aſſyriam* deferri, ut iſtius ſolius fluminis aquam filia biberet: Nec ſimilia nobis exempla deſunt Magnatum, qui impenſis fortean haud minoribus *Nilum* noſtrum filiabus & conjugibus ſuis advehi curârunt, ut hujus ſolius liquorem haurirent. Habet ſua *Ægyptius Nilus* annua incrementa, ſed æſtiva: habet & *Serveſtanus*, ſed hiberna ferè. Ut enim æſtivis menſibus totam inundat *Ægyptum Nilus*: ſic hybernis urbem noſtram *cerevisia*; quæ æſtûs impatiens hybernis menſibus coqui amat, & tanta capit incrementa, ut paucorum menſium ſpatio dolia noſtratia impleat ſat ampla 30000. Ut ergò pulcherrima illa *Ægypti* facies cùm jam ſe in agros *Nilus* ingeſſit, laténtque operti campi & valles: útque eò major *Aegyptiis* eſt lætitia, quo minùs terrarum ſuarum vident: ſic & urbis noſtræ pulcherrima illa facies, cùm jam ſe in cellas noſtras ingeſſit *Nilus* noſter, eóque operta latent fornicum noſtrorum profunda. Tanto certè major lætitia nobis, quanto minùs cellarum noſtrarum videmus. Ut verò non abſque ſingulari providentia Dei quotannis ſtatis temporibus in *Aegypto* exundat *Nilus*, agrísque pinguem limum inducit; cùm ſterile & arenoſum *Aegypti* ſolum nullis, aut rariſſimis rigetur imbribus: Ità ſanè eſt quòd prædicemus benignitatem Dei, qui arenoſo noſtro, quod colimus, ſolo, fœcundum hunc *Nilum* induxit, quo famem ac ſitim à nobis propulſamus, & ubertatis noſtræ rivulos, non minùs quàm ſuos è *Nilo Aegyptii*, ad exteros quoque derivamus.

Sterile

Sterile in *Ægypto* quicquid non attingit *Nilus*: In nostra quoque urbe sterile ferè, quicquid non rigat *Nilus* noster; Hic ager quem metimus: hæc sylva, quam cædimus: hoc vinetum quod colimus. Et montes hi nostri unde aurum & argentum effodimus, parco quidem, sed honesto, & ad vitam hanc, quæ paucis contenta, tolerandam sufficiente proventu.

Est ergò nobis & Rectoribus nostris *Nilus* hic *Servestanus*, non minùs, quàm accolis suis *Ægyptius*, *invectio commeatuum*: Ex hoc enim vivimus: hoc ad commercia nostra exteros invitamus, & omne genus commeatuum urbi procuramus. *Separatorum conjunctio*: Ex *Nili* enim nostri amore & desiderio urbem nostram frequentant, nobísque junguntur exteri, non obstantibus locorum intervallis & itinerum difficultatibus, quas *Nectaris* nostri amore indefessi exantlant. *Subsidium vectigalium & tributorum*: quod non ignorat nostra ætas. *Portus securitatis*: Itáne verò, inquis, *cerevisia* vobis *securitatis portus*? Fateor equidem divinæ protectioni securitatem nos debere: nullum enim nostrum robur; nulla vis. Videtur tamen imbecillitas nostra securitatem, indultu Dei, nobis præstare, quam *Nilo* nostro non ineptè me transscribere arbitror. Modico enim is proventu nos beat, & intra mediocritatis limites fortunas nostras ità coercet, ut nec seditiosorum spe prædæ in nos inflammentur studia (quæ cura olim divites *Ægypti* reges torsit) nec hostium exterorum & prædonum invitetur rapacitas ac libido, cui explendæ non sunt fortunæ nostræ tenues & accisæ, etsi frugalitati nostræ sufficiunt: quæ nostræ felicitatis pars haud minima. *Secretum temperantiæ*: Habet enim hoc *Nilus* noster ut modicè haustus sitim extinguat, & moderato calore naturam foveat, bibendi libidine non irritatâ: quod magnum vinorum & cerevisiarum quarundam incommodum. Si qui verò, quod non diffitebor, ad intemperantiam quoque *Nili* nostri Nectare abutuntur, non *cerevisia* accusanda, quæ temperantiæ conciliatrix; sed helluonum ingluvies, quæ vel ipsâ temperantiâ ad intemperantiam abuti possit. Denique *Subsidium in necessitatibus & sterilitatis alimentum*: quod abundè jam me demonstrâsse arbitror. Sic ergò *cerevisiam* nostram & *Ægyptium Nilum* multa habere communia paucis ostendi. Plura restant, quæ vellicatim & saltuatim attingam.

Affectionibus quibusdam singularibus mirandus est *Nilus*: nec minùs *Servestanum Nectar*. *Limosus* quidem & turbidus intra alveum fluit *Nilus*; at fictilibus vasis haustus, quibus ad potum præparatur, intra tridui spatium deponit limum, & de claritate vel cum Castalia certat. Agnoscitis, opinor, *Nili* nostri *Servestani* indolem, qui postquam recens Vulcani laboribus est defunctus & intra alveum, ingens illud vas, quo colligitur, receptus, limosam & turbidam *Ægyptii Nili* aquam esse jures. Indè verò in minora vasa diffusus & cellis repositus, intra tridui vel quatridui spatium, expulsa vel subsidente limosâ fæce, de fulgore cum auro vel succino præstantissimo, de claritate cum limpidissimis aquis aut vinis certat. Singularis hæc *Nectaris* nostri prærogativa, in cujus societatem vix ullam Germaniæ cerevisiam admiserit. Porrò *dulcedo Nili Ægyptii* tanta est, ut affirmare *Seneca* ausit: *nulli flumini dulciorem esse gustum*: quamobrem à *Pescennio Nigro* æquiparata vino legitur apud *Spartianum*. Cùm enim Ægyptiacarum stationum milites vinum peterent: respondit Imperator. *Nilum habetis & vinum petitis?* Dulcedinem *Nili* nostri *Servestani* quis eloquatur? Non illa quidem qualis Saccharo: hæc enim ingrata viris, quam nec *Ægyptio Nilo* inesse crediderim: sed quæ virili palato suavissima, & medium extremorum utrinque reductum. Non parit nimiâ vel dulcedine nauseam, vel amaritudine horrorem. Quid dicam? suavissima est, & gustu rectiùs quàm calamo aut voce commendatur: ut jure illud *Pescennii Nigri* inflectere, & nostris vini potoribus respondere posse videar: *Cerevisiam Servestanam habetis & vinum petitis?* Præterea aquam *Ægyptii Nili* ἄναυρον *Herodotus*, *Plinius* & alii prædicant: quod una omnium nullas exspiret auras, aerem non obscuret, cœlum non obnubilet. Nonne verò æmulum hîc agnoscitis *Nilum Servestanum*? Nullas & hic auras exspirat? vaporibus, inquam, ascendentibus caput non infestat, cœlestem rationis nostræ regiam non obscurat, non obnubilat. Cùm pleræque aliæ crassiores cerevisiæ liberiùs præsertim, urgente siti, haustæ, bibentibus molestæ deprehendantur, & quod corporibus fortean mole sua addunt, multa aurarum exspiratione menti adimant. *Nili* à putredine immunitatem *Aristides* prædicat, ejúsque aquas à fæcibus purgatas toto triennio vel quadriennio illæsas servari scribit: Nec hîc ab *Ægyptii Nili* mirandis & singularibus abit *Nilus Servestanus*, qui unus ferè inter cerevisias ætatem fert: ut & nobis liceat *Cerevisiam* nostram τῷ χρόνῳ σεμνυνομένην, quæ *Aristidis* de *Nili* aquis verba sunt, ὥσπερ ἂν οἱ τὸν οἶνον σεμνύνωσι. Cùm enim aliæ pleræque cerevisiæ in paucos menses durent, nostra triennii vel quadriennii senio non læditur: si ritè cocta & rectè asservata sit: quod verè à me dici *Aula* nostra testabitur, quæ annorum, credo XX. cerevisiam hospitibus propinat optimi saporis. Ad hæc mira aquarum *Niloticarum* salubritas à *Galeno*, *Avicenna*, *Aetio* & pluribus aliis Medicorum filiis commendata, certísque firmata est documentis. Hausta enim suavis est, moram in alvo mediocrem ducit, sitim convenienter

enter

enter restinguit, nullum, per frigus, infert nocumentum. Quid *Nilus Servestanus*, nonne ex amussim *Aegyptio* hic respondet? Nemo, nisi qui hanc nobis felicitatem invidet, salubritatis laude *Nectar* nostrum defraudat, quod haustu suavissimum, hypochondriis minimè molestum, ad sitim restringuendam aptissimum, & moderato calore naturæ convenientissimum. Nec enim illos audiendos puto, qui nescio quam frigefaciendi vim *cerevisiæ* nostræ tribuunt, rusticorum forsan usi judicio, quibus friget quicquid non fervet, quique solas probant cerevisias, quæ densis vaporibus & nidoribus capita replent, rationem turbant, oculos obfuscant, linguam denique, manus & pedes ligant: quod etsi istis hominibus *Cyclopum nectar* non invidemus: nostram tamen ab ipsorum cerebro & palato æstimari *cerevisiam* non patimur. Ecquæ enim nimii frigoris documenta nobis exhibent? Corpora, opinor, quædam cacochymica & morbosa proferent, quibus fortean unus & alter Medicus haustu *Nili* nostri interdixerit. Quibus impræsentiarum aliud nihil respondeo, quàm quòd eodem artificio & differendi subtilitate quævis etiam vina damnari possint; cùm singulis singula non conducant & calorem nativum pleraque obruant, si immoderatiùs hauriantur. Illud velim *Aristarchi* attendant, à *Nili* quoque nostri haustu calere corpora, etsi non ardent: Nec fieri posse ut cum tanta lupuli copia, quâ condiri solet *Nectar* nostrum, interni frigoris infamia sit conjuncta.

At enim obloquentem audio Medicum Borussum, *Placotomum*, qui ante annos ferè L X X. gustui quidem gratam, plenam & nutritioni idoneam prædicavit *Servestanam* nostram: sed & urinæ difficultatem & ardorem proritare affirmavit. Equidem de priori assentior *Placotomo*, & quas cerevisiæ nostræ laudes homo extraneus prædicat, accipio: de posteriori cur non assentior causas me puto habere graves, quas cùm *cerevisiæ* nostræ natura, tum certissima experientia subministrat. Illam si inspexeris & copioso lupulo condiri *cerevisiam* nostram animadverteris, à vitii, quod objicitur, suspicione absolves, opinor, *Servestanum Nectar*; ídque viscerum potiùs mederi obstructionibus, quàm eas inducere pronunciabis: Hanc si consulueris, radicitùs evelletur suspicio. Qui enim probè coctam, conditam & defæcatam *Ambrosiam* nostram hanc bibimus, etiam calidioribus vinis in aliis assueti terris, tantùm abest ut δυσουρίας cruciatibus torqueamur, ut longè etiam expeditiorem naturæ viam sterni experiamur, & paucissimi calculorum tormina sentiamus.

Sed acriorem & longè iniquiorem *Placotomo* hostem habemus *Eobanum Hessum*, Poetam, qui è salubrium liquorum censu *Cerevisiam* prorsus ejicit, & quasi stigmate notatam perpetuo multat exilio, elegantiore quàm veriore versu:

Quis docuit crasso Cererem confundere succo?
Huic iratus erat Bacchus & ipsa Ceres:
Nam Pelusiaci qui laudat pocula zythi
Illi nec cerebrum nec caput esse potest.
Renibus & nervis cerebróq; hic noxius humor,
Sæpe etiam lepræ semina fœda jacit.

Sunt qui in partem hæc mitiorem accipiant, & de veterum, non nostri seculi *cerevisia* interpretentur: quod penè ad verbum *Dioscoridis* sententiam reddiderit Poeta. Sic enim *Dioscorid.* lib. 2. cap. 79. *Zythus ex hordeo paratur, movet urinam, renes & nervos lædit, & præcipuè cerebri membranis noxius, gignit flatus, mali succi est, & elephantiasin facit.* Eadem ferè *Galeni*, *Ægynetæ*, *Aetii* & aliorum Græcorum sententia est: cui non est, quod contradicamus, cùm judicare de veterum *zytho* nonnisi è veterum commentariis liceat, iis præsertim, qui à peritissimis profecti Medicis. Nec mirabitur *zythi* veteris incommoda, qui è sola aqua & hordeo crudo, sine lupuli condimento, paratum intellexerit. At enim Poeta noster non tam de veteri, quàm recenti *Zytho* pronunciare, & in universum damnare *cerevisiam* videtur: quam iniquissimam censuram operosè refutare, certè operæpretium non fuerit: cùm vel narrâsse eam sit refutâsse. Quis enim simplex & hebes adeò, qui è veteri *cerevisia* nostram minùs rectè æstimari non videat. Si & internis principiis & externo præparandi modo, differre istam ab illa, & aliud loqui rem ipsam intelligat? Nec renibus nec nervis, nec articulis inimica *cerevisia* nostra deprehenditur. Qui enim alias gentes vino assuetas exercent crebri articulorum dolores, calculorum cruciatus, & nervorum solutiones, Dei gratiâ infrequentes apud nos sunt. Lepram verò prorsus ignoramus: ut quid in mentem venerit Poetæ augurari nequeam. Suspicari tamen subit nimiùm favisse Poetam *Baccho*, hujusque immodico amore in *cerevisiam* debacchatum: nec ratione, sed affectu duce in *Cereris* filiam strinxisse calamum: Cui, paucis mutatis, versiculos eosdem veriores repono:

Quis Sorabos docuit Cererem conjungere Nymphis?
Huic favet artifici Nympha, Cerésque favet.
Nam Servestani qui culpat pocula Zythi,
Illi nec cerebrum, nec caput esse potest.
Renibus & nervis cerebróq; hic humor amicus,
Nulla unquam lepræ semina fœda jacit.

Denique admiranda quoque *Nili Ægyptiaci* fœcunditas, quam, ut alia taceam documenta, divites pisci-um proventus & frequens fœminarum *Ægyptiarum* πολυτοκία loquuntur. Et quidem inter pisces *Niloticos* & numero & mole excellunt *Crocodili* & *Hippopotami*, truculenta *Nili* monstra: quorum partus, si *cerevisiæ* nostræ laudis aliquid possent conciliare, ne in nostro quidem *Nilo* desiderari demonstratu facilimum esset. Quid enim quæso nisi *Crocodili* & *Hippopotami* sunt potores urbis hujus bibuli, qui nostri *Nectaris* capti dulcedine solidos hauriendo dies absumunt, &, monstrorum *Niloticorum* more, interdiu madidi & *Nilo* nostro obruti latent, noctu verò è latibulis prorumpunt, & nocturna turbant silentia, viásque publicas infestas reddunt. Digna certè monstra, quibus ceu *Crocodilis* & *Hippopotamis* vigiles struantur insidiæ. Sed ad mulierum πολυτοκίαν transeamus, quâ ob fœtiferas *Nili* aquas, excellit *Aegyptus*. Binos, ternos aut etiam quaternos infantes intra unius matris simul gigni viscera & incolumes in lucem edi insolens in *Ægypto* non est: quam *Nilo* deberi fœcunditatem extra omnem est dubii aleam. Nam & quarundam longiore sterilitate præclusa viscera ad conceptum relaxari aquarum *Niloticarum* haustu certis constat experimentis. Nec hîc *Ægypto* dissimilis *Nilus* noster, quem potu fœtiferum jure dixeris: Binos enim aut ternos etiam in urbe nostra uno partu edi infantes, res non insolita nec nova: nec memini uspiam frequentiores videre me gemellos, quàm in hac ipsa nostra urbe, quam *Nili* æmula *cerevisia* vernacula rigat & fœcundat.

Sic ergò, *Viri præstantissimi*, ampliùs non mirabimini, opinor, quòd urbi vestræ multa cum *Nilo* communia, quódque intra urbem *Nilum* vos habere *Ægyptio* haud absimilem, dixi: quæ causa princeps dedicationis hujusce mihi fuit. Accedit tamen & alia, amor & observantia in vos mea, quam & humanitas in me vestra, & bene de me merendi studium à multis jam annis provocavit: quo cum nisi paria facere, vel faciendi saltem conatum ostendere modis omnibus laborarem, ingrati animi crimen incurrerem, à quo alienus & videri & esse cupio. Exspectare quoque à me videbatur urbs nostra publicum felicitatis suæ testimonium, quam voti damnare officii mei fuerat. Etsi enim urbis nostræ (quæ Vandalorum, (quos Sorabos & Serbos, è *Ptolomæi* tabulis, dixere,) auspiciis excitata) à priscis annalibus sat decantata est antiquitas, cujus primordia ad annum à CHRISTO nato sexcentesimum vel septingentesimum si retulero, à vero nihil aberravero: tamen inter laudes ejus non postremo loco memoranda felicitas in coquenda *cerevisia*, cujus laudibus velificari postremam hanc præfationis partem volui.

Nihil jam reliquum est, *Viri præstantissimi*, nisi ut hanc meæ in vos observantiæ & gratitudinis tesseram lætis frontibus excipiatis: quod ut faciatis amicè rogo, & *Altissimo* vos, fortunas vestras, urbem hanc, & omnem *Anhaltinatum*, in tantis Germaniæ turbis, commendo. Dab. *Servestæ* Calend. Januar. 1623.

Index Autorum qui in hac Nilotica commentatione allegantur, illustrantur, & explicantur.

Macrobius
Magius
Maiolus
Manetho
Marcus Mantua
Marcellus Donatus
Marianus Scotus
Marinus Sanutus
Martianus Capella
Martialis
Martinus Cromerus
Martyr
Masius
Matthias Paris
Maximus Tyrius
Mela
Mercator
Metaphrastes
Michael Neander
Minucius Felix
Mizaldus
Moyses Propheta
Munsterus
Muretus

Nauclerus
Nicogorus
Nicolaus de comit.
Niger
Novellæ Imperat.

Oenopides Chius
Olaus
Oliverius Scholasticus
Orosius
Orpheus
Ortelius
Otto Frisingensis
Ovidius

Palladius
Pancirollus
Papinius
Paraphrastes Chaldæus
Parmeno Byzant.
Patricius
Paulus Apostolus
Paulus Iurisconsultus
Pausanias
Pererius
Persius
Petrella
Petrus Abyssinus
Petrus Hispanus
Peucerus
Phlegon Trallianus
Philosophi Memphitici
Philostratus
Philo
Pierius Valerianus
Pineda
Platina
Plato
Plinius Philosophus
Plinius Orator
Plutarchus
Polybius
Polydorus Virgilius
Porphyrius
Prudentius
Ptolomæus

Quintilianus

Robertus Hues
Rodomannus
Ruffinus

Sabellicus
Sallustius
R. Solomon
Scaliger
Schafnaburgensis
Scylax
Scholiastes Aristophanis
Scholiastes Apollonii
Seneca
Serarius Iesuita
Servius
Sigebertus
Sigifridus Presbyter
Simlerus
Solinus
Sophocles
Sozomenus
Statius
Stephanus Vinandus Pighius
Stuckius
Suetonius
Suidas
Strabo


Tacitus
Tertullianus
Thales
Theocritus
Theodoretus
Theophon. Isaurus Abbas.
Theophyl. Symocatus
Theophrastus
Tholosanus
Thomas Rhadus
Tibullus
Timæus Mathem.
Trismegistus
Trithemius
Trogus
Tucherus

Valleriola
Vallesius
Varro
Vartomannus
Versio Bibliorum Græca
Versio Bibliorum Germanica.
Vincentius Beluac
Virgilius
Vitruvius.
Vives.
Ulpianus
Volaterranus
Vopiscus

Wernerus
Willermus Tyrensis Archiepiscopus

Xenophon
Xiphilinus

Zanardus
Zwingerus



In NILO consideratur
- Nomen, quod varium apud varias gentes, cap. 1.
- Res, quæ explicatur
  - Efficiente: De ortu Nili sententia
    - vera, cap. 2.
    - falsa, cap. 3.
  - Adjunctis, quæ sunt
    - Quantitas
      - Longitudo,
      - Latitudo, cap. 4.
    - Motus seu cursus: In quo memorabiles
      - Cataractæ,
      - Cadupæ, cap. 5.
    - Flumina influentia, cap. 6.
    - Incrementum, cujus consideratur
      - Tempus, seu initium.
      - Duratio, seu continuatio,
      - Necessitas,
      - Mensurandi, minuendi, augendi ratio,
      - Effectus, cap. 7.
      - Causa, cap. 8.
    - Qualitas, ut
      - Limositas, cap. 9.
      - Dulcedo, cap. 10.
      - Immmunitas ab
        - Exhalationibus, cap. 11.
        - Putredine, cap. 12.
      - Salubritas cap. 13.
      - Fœcunditas quæ probatur quatuor indiciis, quæ sunt
        - Animantium quæ gignit Nilus
          - intra se: de quibus in
            - Genere c. 14.
            - Specie, de
              - Crocodilo; cujus consideratur
                - Etymologia,
                - Somatologia, cap. 15.
                - Physiologia,
                - Arithmologia cap. 16.
                - Philologia, cap. 17.
                - Echthrologia, cap. 18.
                - Tropologia hieroglyphiphica, cap. 19.
              - Hippopotamo, cap. 20.
          - Extra se in agris Ægyptiorum, cap. 21.
        - Frugum in Ægypto & Æthiopia abundantia, cap. 22.
        - Caprarum & ovium Ægyptiacarum πολυτεκνία, cap 23.
        - Mulierum Ægyptiacarum πολυτεκνία, cap. 24.
  - Partibus: Quæ sunt
    - Principales; septem ostia, cap. 25.
    - Minùs principales;
      - Lacus
        - Mœridis,
        - Mareotidis,
      - Fossa Regis Sesostris. cap. 26.

IN ADMIRANDA NILI

Proœmium.



Ini qui omnibus seculis Divinorum operum fuere æstimatores, quorum in excessu nonnulli, alii in defectu peccârunt.

Illos creaturarum admiratio & Numinis ignorantia eò usq; provexit ut creaturas ad creatoris fastigium evexerint, dum, ut *Pauli* verbis utar, *μετήλλαξαν τὴν ἀλήθειαν τοῦ θεοῦ ἐν τῷ ψεύδει, καὶ ἐσεβάσθησαν καὶ ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα, ὅς ἐστιν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας*, Rom.i. 25. Solam hîc *Ægyptum*, quam præsens nostra commentatio attingit, ad testimonium cito: cui in hortis & aquis creverunt Dii; imò ipsæ aquæ Dii esse meruerunt, ut in hoc opusculo docebimus, & *Prudentius* lib. 2. contra *Symmachum* queritur,

Sunt qui quadriviis brevioribus ire parati
Vilia Niliacis venerantur oluscula in hortis,
Porrum & cæpe deos imponere nubibus ausi,
Alliáque & Serapin cœlo super astra locare:
Isis enim & Serapis & grandi simia cauda,
Et Crocodilus, id est, quod Juno, Laverna, Priapus.
Hos tu, Nile, Deos colis, & tu, Tybris, adoras.

Eandem insaniam *Prudentio* antiquior *Juvenalis* perstringit,

Porrum & cæpe nefas violare & frangere morsu.

Et hoc prior *Horatius*, Satyra 15. ubi hâc exclamatione finit,

O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina———

Meminit & *Plinius* lib. 19. cap. 6.

Sacrificiorum solis Ægyptiis usitatorum * sexcenta sexaginta sex genera fuisse scribit *Maiolus*, tom. 2. Colloq. 1. Quæ pluribus perstringit *Laurentius Pignorius* in Characteribus Ægyptiis, cap. 1. Ut augurium non fefellerit antiquissimum *Mercurium Trismegistum* in hæc verba exclamantem, *O Ægypte, Ægypte, religionum tuarum solæ supererunt fabulæ, eæque incredibiles posteris tuis!*

*Causas fœcundissimæ hujus idololatriæ Ægyptiacæ, ex autoribus, plures adducit *Franciscus Floridus Sabinus*, Lect. subcis. lib. 3. cap. 1.

Istos bruta quædam ignavia, vel contemtus potiùs Creatoris & creaturarum, intra crassissimæ rerum omnium ignorantiæ limites ità continuit ut nec Creatorem nec creaturam noverint vel nôsse laboraverint: cùm tamen *τὰ ἀόρατα τοῦ θεοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶν, καὶ ἀΐδιον αὐτοῦ δύναμιν καὶ θεότητα* potuerint & debuerint.

Hoc iter haudquaquam magno discrimine distat
Hisce viis quas vos teritis, qui Numina multa
Et portenta Deum summum numerosa putatis.

Prudentio judice, libr. 2. adversùs *Symmachum*.

Utrumque CHRISTIANI nos extremum evitamus, & medio tutissimi imus. Creaturas contemplamur, sed Creatori non æquamus, etsi ex iis æternam Creatoris potentiam, bonitatem & sapientiam æstimamus. Hic liber ille cujus sedula inspectio & lectio mentem in Divinarum rerum contemplatione acuit, viámque ad Creatorem, instar *Mercurialis* statuæ, monstrat. Erat hic olim *Antonii Eremitæ* liber, ex quo omnigenam sapientiam, absque alterius bibliothecæ ope, se hausisse ad Philosophos profitebatur, quos sapientiæ suæ admiratores habebat: *Est mihi*, aiebat, *unicus liber, qui tribus foliis totidémq; constat literis. Liber Mundus est: folia sunt Cœlum, Terra, Aqua: Literæ sunt illorum domiciliorum incolæ; Stellæ & Aves in Cœlo; in Terra, Animalia, in quibus excellit Homo; in Aqua Pisces. Hunc librum noctes & dies volvo, adeóque horas meas & jucundas & fructuosas reddo.* Hunc & nos imitati *Eremitam* tertium mundani libri folium, *Aquam*, diebus hisce canicularibus inspeximus, & ex eo portiunculam insignem, NILUM, selegimus; cujus & naturam & incolas principes tanquam literas legimus, eâ fini ut & nobis & aliis jucundas & fructuosas horas redderemus.

Quicquid verò dierum illorum labor peperit, ADMIRANDA NILI inscribere visum est, quia omnium fluminum MIRACULA *Nilus* continet, nec quicquam tota *Ægyptus* habet admirabilius *Nilo*. Ità *Strabo* judicat lib. 1. emphaticâ oratione, *Τῶν κατ' Αἴγυπτον τὸ γνωριμώτατον καὶ παραδοξότατον καὶ μάλιστα πάντων μνήμης ἄξιον καὶ ἱστορίας ὁ ποταμὸς καὶ ἣν καὶ ἔστιν, ὡς δ' αὐτὸς καὶ ἀναβάσεις αὐτοῦ καὶ τὰ στόματα*, hoc est, *Casaubono* interprete, *Omnium quæ in Ægypto sunt rerum nobilissima maximéque & admiratione & memoratu digna est ac historiâ, Fluvius ille, ejúsque exundatio & ostia. Aristidis*, in oratione Ægyptica, ex interpretatione *Canteri*, hæc sunt verba, *Nilus omnium est fluvio-*

rum tum pulcherrimus tum maximus, quique usu, spectaculo & omnibus rebus alios longè superat. Et sub finem orationis, *Quid non est in Nilo mirandum? Aut quomodo fieri potest ut non totus è miraculis constet?* Memorabilia sunt *Achillis Tatii* verba lib. 4. De *Clitophontis* & *Leucippes* amoribus, Νεῖλος πάντα γίνεται, καὶ ποταμὸς, καὶ γῆ, καὶ θάλασσα, καὶ λίμνη· καὶ ἔστι τὸ θέαμα καινὸν, ναῦς ὁμοῦ καὶ δίκελλα, κώπη καὶ ἄροτρον, πηδάλιον καὶ πτέραιον, ναυτῶν ὁμοῦ καὶ γεωργῶν καταγωγὴ, ἰχθύων ὁμοῦ καὶ βοῶν· ὃ πέπλευκας φυτεύεις, τοῦτο τὸ πέλαγος γεωργούμενον, hoc est, *Nilus est omnia, nempe fluvius, terra, mare, palus: Admirationéque omnino dignum est, eodem in loco navim & ligonem, remum & aratrum, temonem & tropæum, nautarum & agricolarum casas, piscium & boum cubilia spectare: nam quà navem egisti, illìc sementem facis; rursus ubi sementem fecisti, illìc navem agis.* Eandem in sententiam *Jacobus Durantius Casellius* Variar. libr. 2. cap. 3. *Nilus verè Rex totius orbis fluviorum est; & qui dixit eum arari, coli, navigari, verissimè dixit.* Mira certè hæc & propemodum incredibilia, verissima tamen, ut in hac commentatione docebimus. *Simon Maiolus* quoque in Diebus Canicularibus, paucis ADMIRANDA *Nili* eloquitur; *Nilus*, inquit, *origine est incognitus, inundatione perutilis, cursu incredibilis, longitudine inscrutabilis, latitudine incomparabilis, ac tandem etiam animantium generatione fœcundissimus.* De singulis hisce fusiùs & explicatiùs disserere animus nobis est. Capita verò Commentationis nostræ præcipua sex erunt:

I. De variis Nili nominibus, & nominum rationibus.

II. De ejus ortu.

III. De magnitudine, cursu, Catadupis, & fluminibus influentibus.

IV. De incremento & exundatione.

V. De qualitatibus aquarum Niloticarum, earundémque effectis.

VI. De ostiis & exitu Nili.

Plura capita sub hisce comprehensa exhibebit distincta tractatio, ad quam bono cum DEO progredimur.

CAPUT I.

Varia Nili *nomina, & nominum interpretatio.*

NIlus, §. 1. 2, 3, 4, 5. *De Ægypti torrente multa*, 6. *Schichor*, 7. μέλας, 8. ἀετὸς, 9. *Oceanus*, 10. *Ægyptus*, 11. *Triton*, 12. *Astaboras*, 13. *Jupiter Ægyptius*, 14. *Gichon*, 15. *Siris*, 16. *Chrysorrhoas*, 17. *Noym*, 18, *Mahara*, 19. *Abbahuius*, 20. *Syene*, 21. *Dyris*, 22.

§. 1. NOmina Fluvii de quo acturi sumus varia sunt, intérque ea communissimum & primum, NILUS: Vox Latinis & Græcis scriptoribus usitata: de cujus interpretatione inter doctos non convenit. *Diodorus Siculus*, & ex eo *Volaterranus*, dictum putant *Nilum*, à *Nileo* Ægypti Rege. Hunc aiunt plures fossas eásque opportunis fecisse locis, Nilúmque utilem Ægyptiis reddidisse, & sic nominis causam flumini præbuisse. Sed de *Nileo* isto Ægypti Rege nihil certi habetur in historia: Fictus videtur Ægypti Rex, non verus: Et si quis esset, nomen potiùs videretur à *Nilo* traxisse quàm ab ipso *Nilus*. *Nilei* quidem meminit *Ammianus Marcellinus* libr. 22. qui *Codri* filius fuit, & aliquot in Asiam colonias duxit; Ægypti verò Regem fuisse non scribit. Ægyptium *Nilum Vulcani* patrem fabulæ laudant, quas hoc loco non audimus. *Hermippus Nilum* quendam producit Cyclopis filium Ægypti Regem: quem fictum potiùs quàm verum judicamus. Suspectus quoque nobis est Νεῖλος ἀπόγονος Ἄτλαντος βασιλεύσας τῶν ἐκεῖ, utì & Νεῖλος βασιλικὸς παῖς ἐκεῖ ῥίψας ἑαυτόν. De quibus *Eustathius in Dionysium*.

Goropius, Hieroglyphic. lib. 4. in fine, duplicem nominis hujus rationem adducit: Νεῖλος, inquit, *ex* νεῖ *fit, quo novum notatur, &* λεῖ, *quod idem est quod duco.* Monstra certè verborum: nisi νεῖ fortè per apocopen dicatur pro νέος: λεῖ in qua lingua *duco* significet, ignoro.

§. 3. Altera quam subjicit nominis ratio adhuc festivior est: *Licebit*, inquit, *dicere, Nilum quasi NI LEEM vocari, quo nova argilla denotatur; propterea quòd quotannis novam argillam sive cœnosam & pinguem terram invehat.* Non contradixerim *Goropio* si linguam *Belgicam* primam & antiquissimam esse demonstraverit, omniúmque matrem, παράδοξος ἢ ἄτοπος non nemini visum: A qua sententia non admodum alienus videtur ipse *Goropius*, qui passim Græcas & Hebraicas voces ad Belgicas revocat & reformat.

§. 4. Doctior est quæ plerisque arridet interpretatio, quâ Νεῖλος quasi Νέιλυς dici putatur, quòd

νεαν

νέαν ἰλὺν, hoc eſt, *novum limum*, ſingulis annis affundat agris Ægyptiorum: ut ſuo loco monſtrabimus. In receptiſſima hac & ſatis plauſibili interpretatione, quam *Heliodorus* quoque tradit, lib. 9. & *Euſtathius* in *Dionyſium* Perieget. non acquieſcit doctiſſimus *Nicolaus Fullerus*, qui nihil alienius ait eſſe quàm originem nominis Ægyptiaci à lingua peregrina, qualis eſt Græca, derivare.

§. 5. Ipſe autem *Fullerus* de vera nominis ratione à ſe primò inventa gloriatur, libr. 4. Miſcell. ſacr. cap. 20. quod libr. 2. cap. 8. ſe præſtitiſſe exiſtimat. Statuit ergò *Nilum* dici ab Hebræorum נַחַל quod *flumen* ſeu *torrentem* ſignificat, & nonnullis minùs rectè pronunciatur *Nahal*, vel *Naal*: vel à Phœnicum & Ægyptiorum *Neel*, quod idem cum Hebræorum *Nachal*. Sic igitur fluvius hic κατ' ἐξοχὴν appellabitur *Nilus*, quia omnium fluviorum princeps eſt: Quo ſenſu *Paulum* appellamus *Apoſtolum*; *Homerum*, *Poetam*: Quia princeps ille Apoſtolorum, hic Poetarum. Nec à Scriptura alienum hoc eſt, quæ Nilum appellat נַחַל מִצְרָיִם hoc eſt, *fluvium Ægypti*, Num. xxxiv. 5. 1. Reg. viii. 66. Jeſa. xxvii. 12. Nec diſplicet nobis hæc *Fulleri* interpretatio, quam probabilem quoque reddit *Æthicus*, qui *Nilum* ab accolis *Nuchal* vocari ſcribit, quod dubio procul idem cum Hebræorum *Nachal*. *Mela* lib. 3. cap. 10. fontem *Nili* ità nominatum tradit.

§. 6. Video tamen moveri quæſtionem à Scripturarum interpretibus, de נַחַל מִצְרָיִם, cujus fit mentio in locis allegatis, qui & נְהַר מִצְרַיִם appellatur, Gen. xv. 18. *An ſit Nilus vel alius à Nilo diſtinctus fluvius.*

Doctiſſimi Hebræorum Rabbini *Salomon* & *Kimchi*, *Nilum* indigitari contendunt: quibus contradicunt reliqui interpretes pleriquе. *Munſterus* in Notis ad Vetus Teſtamentum Gen. 15. & Joſ. 13. intelligi vult rivum quendam qui ab oriente verſùs terram Iſrael deflectatur, Gazæque circumſcripto termino Judæam ab Ægypto diſterminet. *Pererius* in cap. 15. Geneſ. ait eſſe parvum fluvium à *Nilo* derivatum, qui inter Peluſium & Palæſtinam per latiſſimam decurrat ſolitudinem, tandé nq; mare Mediterraneum, quod Ægyptium ſeu Phœnicium appellatur, intret; indéque Judææ terminum Auſtralem ſtatui. Eadem ante *Pererium* ſcripſerunt *Brocardus* Monachus, *Leo Afer*, & *Andreas Maſius*. *Strabo* quoque lib. 16. ſupra magnum *Nili* oſtium Peluſiacum agnoſcit parvum; quod Judæam verſùs excurrat per 300 ſtadia. Idem expreſsè docet *Willermus Tyrenſis* Archiepiſcopus lib. 20. cap. 15. ubi ſcribit primum *Nili* oſtium Ortum verſùs eſſe, quod vulgo *Carabes* appellatur, juxta quod ſita Pharamia, eremo juncta, inter fluvium, mare, & ſolitudinem poſita. *Marinus Sanutus* lib. 1. part. 1. cap. 6. oſtium hoc appellat *Tenex*, aitque eſſe verſùs deſertum de Gazara. Idem lib. 3. part. 14. cap. 12. ait ab *Heliopoli* rivulum *Nili* procedere contra Aquilonem, uſque ad civitatem *Belbeis*, quæ olim *Peluſium*; inde per deſertum verſùs terram ſanctam: & hunc eſſe *rivum Ægypti*, quem Scriptura terminum tribûs Judæ conſtituit.

Interpretes LXX Jeſaiæ 27. נַחַל מִצְרָיִם *Rhinocoluram* vertunt. Eſt autem Rhinocolura, quam *Niger* Pharamicam appellat, propriè Ægypti civitas, quæ *Ptolemæo* ab extremis Judææ terminis Auſtralibus quatuor circiter leucis diſtat, & à Peluſio diei unius & dimidii itinere abeſt. Ab hac urbe vicinus torrens, qui putatur eſſe נַחַל מִצְרָיִם, nomen accipit. Concedit in eandem ſententiam *Junius*, in notis ad cap. 13. Joſuæ. *Inter Rhinocoluram*, inquit *Hieronymus*, *& Peluſium rivus Nili ſive torrens de eremo veniens mare ingreditur.*

Ratio autem cur in allegatis Scripturæ locis per נַחַל vel נְהַר מִצְרַיִם non videatur *Nilus* intelligi poſſe, hæc adfertur; Quòd נַחַל מִצְרָיִם ſtatuatur Auſtralis terminus terræ Judæis promiſſæ: quòd ſi verò terra promiſſionis ad *Nilum* uſque fuiſſet porrecta, bona utique Ægypti & Arabiæ pars, necnon Madianitis & aliæ regiones ad poſſeſſionem Hebræorum pertinuiſſent, quod falſum eſſe ex Scriptura palàm eſt.

Ergóne erravimus dum *Nilum* in Scriptura נַחַל מִצְרָיִם appellari diximus? *Reſp.* Neutiquam. Nullo enim negotio ſententiæ noſtræ hæ poſſunt conciliari. Cùm enim certum ſit fluvium illum qui Judææ terminus Auſtralis ſtatuitur, eſſe brachiolum *Nili* à magno Peluſiaco derivatum, & verſùs Judæam porrectum, apparet utique rectè eum appellari *Nilum*, ſeu נַחַל מִצְרָיִם, quia propago *Nili* fluminis Ægyptii eſt; uti & reliquis *Nili* brachiis *Nili* nomen tribuitur, quia partes ſunt *Nili*: Hæc enim homogeneorum natura. Unde *Hieronymus* in caput 27. Jeſaiæ *Ægypti torrentem Nilum* interpretatus eſt, etiamſi non ignoravit *Nili* propaginem per eremum defluentem à Propheta indigitari.

§. 7. II. In lingua ſacra Veteris Teſtamenti nominatur שיחור Jeſai. xxiii. 3. Jer. ii. 18. hoc eſt, *niger*, à שָׁחַר quod eſt *denigrari*. Sic ab aquarum colore denominatur, qui ſubfuſcus & nigricans eſt, ob limum quem vehit ſecum *Nilus*. Joſuæ xiii. 3. nomen hoc tribuitur torrenti Ægypti, termino Auſtrali Judææ, quia torrens ille brachium eſt *Nili* ſeu Schichor.

§. 8. III. Græcis μέλας appellatur, autoribus *Eustathio* & *Plutarcho*, eodẽ sensu quo Hebræis שיחור *niger*, ab aquarum nigredine: unde μελάμβωλος quoque dictus, quia nigram vehit glebam, eámque Ægyptiorum agris inducit. Hinc Nili simulacrum olim ex nigro lapide factum, cùm aliorum fluminum simulacra ex candido lapide fieri solerent; *Pierius Valerianus* Hieroglyph. lib. 46.

§. 9. IV. Ἀετὸς, *Aquila*; duabus de causis, ut notat *Pierius* in Hieroglyph. lib. 19. cùm quia motus ejus concitatissimus, qualis aquilæ volatus; tum quia color ipsi aquilinus, hoc est, subfuscus & niger.

Dignum verò observatu est quod ibidem scribit *Pierius*, traditum à nonnullis esse per Aquilam, quæ ex Poetarum traditionibus *Promethei* cor discerperet, & ab *Hercule* cohibita diceretur, *Nilum* fuisse indigitatum, in cujus incrementi causis investigandis anxiè laborârit *Prometheus*: à qua eum anxietate tandem *Hercules* liberârit, *Nili* impetu intra aggeres concluso, monstratisque exundationis causis.

§. 10. V. *Oceanus*, propter magnitudinem. Unde *Basilius*, Homil. 3. *Nilus neque fluviis naturâ similis, cùm velut mare Ægyptum operiat, & pelagum faciat. Certè dum totam Ægyptum inundat, mari quàm flumini similior est.* Accedit quòd mare olim fuisse veteribus creditum sit. Scribit *Pierius Valerianus*, lib. 34. Nilum ideò *oceanum* veteribus esse dictum quòd totius humoris fontem eum esse crediderint.

§. 11. VI. *Ægyptus*: Hoc primum *Nili* nomen fuisse Scriptores tradunt, *Diodorus Siculus*, *Plutarchus*, *Strabo*, (Νεῖλος ὁμωνύμως τῇ χώρᾳ λεγόμενος) *Plinius*, *Ammianus Marcellinus*. Occurrit apud *Homerum* Odyss. ξ'.

Στῆσα δ' ἐν Αἰγύπτῳ ποταμῷ νέας ἀμφιελίσσας.
& sæpiùs alibi. Notat *Eustathius* in Odyss. γ'. τὸν Αἰγυπτον ἀρσενικῶς apud *Homerum*, esse *Nilum*: Unde regio *Ægyptus* dicta, quia δῶρον τοῦ ποταμοῦ· τὴν Αἴγυπτον verò, θηλυκῶς ignotam esse *Homero*.

Flumini datum putatur ab *Ægypto Beli* vel (ut fabulæ volunt) *Vulcani* filio ejúsque regionis Principe: deinde à flumine terræ impositum, ut *Arriano* quoque videtur lib. 5. Exped. *Alexandri Magni*. *Ægyptus*, inquit *Ambrosius*, libr. 2. de Abrah. cap. 10. *nomen fluminis est: Sic enim veteres Nilum vocabant, sive quòd ipsi regioni nomen dedisset, sive quòd regionis accepisset vocabulum.*

Sed quæ de *Ægypto Beli* aut *Vulcani* filio tradunt, fabulosa sunt: de quibus videatur *Apollodorus* lib. 2. Nec impetrare à me possum ut credam *Nili* nomen recentius esse *Ægypti* nomine, cùm illud, ut suprà ostendimus, ad primævæ linguæ simplicitatem propiùs accedat quàm hoc, ortúmque ex ipsa historia sacra antiquissima traxisse videatur. Confirmat me in hac sententia, quod *Isidorus* Etym. lib. 9. cap. 2. scribit, Ægyptios priùs appellatos *Aerios*: quod nominis longè recentius esse *Nili* appellatione docti facilè agnoscent. Idem expressè scribit *Annius*, Comment. in supplementa *Manethonis*, ubi ait Ægyptum nomen accepisse ab *Ægypto* Rege, priùs verò dictam *Nileam*, post *Aeriam*.

§. 12. VII. *Triton*: Nominis hujus rationem se non assequi fatetur *Lælius Bisciola*, doctissimus Philologus. Attamen *Cælius Rhodiginus* in amœnitatum studio nulli secundus, dictum ità *Nilum* putat quòd tribus olim nominibus fuerit insignitus, dictúsque *Oceanus*, *Aetus*, & *Nilus*; LL. Antiq. lib. 20. c. 13.

§. 13. VIII. *Astaboras* & *Astapus*, autore *Plinio*; vel quòd aquæ ejus è tenebris videantur profluere, *Plinius*, libr. 5. cap. 9. vel quòd incertæ sit originis, *Diodorus Siculus*, libr. 1. *Scaliger* & alii Astapum flumen à *Nilo* diversum esse contendunt, ut suo loco videbimus.

§ 14. IX. Αἰγύπτιος Ζεὺς, *Jupiter Ægyptius*: Hinc *Parmeno Byzantius* apud *Athenæum*, Αἰγύπτιε Ζεῦ Νεῖλε: dictus ità quod inundatione suâ annuâ pluviarum defectum in Ægypto compenset, cœlique vicem Ægyptiis præstet. Quas enim aliis terris aquas affundit cœlum, cui *Jovem* præesse, & tempestates moderari Gentilium opinio erat, eas Ægypto *Nilus* ministrat, negante cœlo. Unde *Aristænetus* autor est, ab Ægyptiis *Nilo* solennes quotannis ferias agitari ludis, theatris, epulis, (sacrificiis quoque, ut patet ex *Heliodoro*, lib. 9, & 10.) & choreâ communi hymnos decantari, quos *Jovi* solerent; quòd Nilus *Jovis* exsequeretur opus, & Ægypto præesset. *Ægyptii*, inquit *Heliodorus* lib. 9. θεοπλαστοῦσι τὸν Νεῖλον, καὶ κρειττόνων τὸν μέγιστον ἄγουσιν, ἀντίμιμον οὐρανοῦ τὸν ποταμὸν σεμνηγοροῦντες· οἷα δὴ δίχα νεφῶν τῶν καὶ ὑετῶν ἀερίων τὴν ἀρουμένην αὐτοῖς ἄρδοντος, καὶ εἰς ἔτος ἀεὶ τεταγμένως ἐπομβρίζοντος. Hæc *Heliodori* sententia iisdem verbis occurrit apud *Philonem* lib. 3. De vita Mosis, Θεοπλαστοῦσι inquit, τὸν Νεῖλον Αἰγύπτιοι, ὡς ἀντίμιμον οὐρανοῦ γεγονότα. Apud eundem *Heliodorum* Ægyptii eum appellant ὧρον (*Solem*) & ζείδωρον, Αἰγύπτου ὅλης τῆς μὲν ἄνω σωτῆρα, τῆς κάτω δὲ καὶ πατέρα καὶ δημιουργόν. qui *Jovis* sunt tituli.

Omnium religiosissimè à *Gymnosophistis* cultus est

est *Nilus*, quem terram simul & aquam arbitrabantur, *Philostratus* lib. 6. Ingeniosè *Nili* sui divinitatem olim asseruerunt Ægyptii. Cùm enim *Constantini* Magni tempore totum terrarum orbem circuirent Chaldæi, ut Deum suum, quem sub ignis specie colebant, omnibus Diis præstantiorem esse convincerent, eò quòd omnes Deorum statuas vi suâ dissolveret, ad Ægyptios quoq; tandem devenerunt: suúmque Deum cum Ægyptiorum Deo in duello, commiserunt. Produxêre igitur Ægyptii sacerdotes ingentem *Nili* statuam, quæ intus concava magnam aquæ molem continebat, undique tamen foraminibus plena, quæ subtili artificio cerâ erant oblita, ut aquam quidem continere, ignis autem vim minimè possent sustinere. Stratagematis ergò ignari Chaldæi in certamen exsultabundi descendunt, igni *Nilum* circundant. Vix statuam attigerat ignis, cùm repentè reseratis ob liquefactam ceram foraminibus magna aquæ vis erumpit, ignémque exstinguit, & omnium ludibrio Chaldæorum Deum exponit: *Ruffinus* lib. 2. Histor. Eccles. Paulò aliter historiam recenset *Suidas*, in voce *Canopus*.

Numum vetustum exhibet *Johannes Mocenicus* Patricius Venetus, cujus inscriptio, *DEO SANCTO NILO.*

Festum ejus circa solstitium æstivum agi consuevit, cùm exundaret, Græcis τὰ νειλῷα dictum, *Heliodor.*

§. 15. X. *Goion* vel *Gichon*, Æthiopibus. Quod nomen *Nilo* in Scriptura quoq; tribui Patres credunt, & cum iis multi è recentioribus, quibus adstipulantur belli sacri scriptores. Hanc in sententiam duo Scripturæ loca allegantur. Gen. ii. 13. Jerem. ii. 18. Sed falli autores hosce nobis extra dubium est. Nititur enim sententia fundamentis lubricis & falsis duobus: Quorum unum, *Nilum* è Paradisi fluminibus unum esse, & quidem secundum illud quod Moses *Gichon* appellat: qua de quæstione paulò pòst. Alterum, lectionem Græcam Jer. 2. cum textu Hebræo consentire: atqui in Hebræo nòn est גיחון sed שיחור quod posterius Nili nomen esse non inficiamur. Cur verò interpretes Græci Hebræum *Schichor* in *Gichon* mutârint, equidem nescio: ipsi viderint. Major apud nos Hebræi quàm Græci textûs autoritas. Versio quoq; nostra Germanica Originalem textum sequitur.

Cæterùm *Gichon*, *pectus* nonnulli interpretantur, alii *præruptum*. Utriusq; etymi ratio in *Nilo* est conspicua. Est enim veluti pectus Ægypti *Nilus*, unde vita in totam Ægyptum diffunditur, mediámq; Ægyptum occupat. Cor aliàs Ægypti fuit Hieroglyphicum; quòd ut cor sanguinis, ità Ægyptus primarium totius humoris, qui à *Nilo*, receptaculum esset; *Pierius*, lib. 34. *Præruptum* quoq; rectè *Nilum* dixeris, quia prærupta transcurrit loca, & ingenti fragore per ea præcipitatur, ut suo loco videbimus.

Gichonis vel *Gihonis* mentio quoque fit in historia *Salomonis* 1. Reg. i. 39. *Adduxerunt eum in Gichon*: qui mons aut fons fuit prope Hierosolymam. *Chaldæus* Paraphrastes *Siluen* interpretatur; *Pineda* De reb. gest. *Solomonis*, lib 2. cap. 15.

§. 16. XI. *Siris*, autoribus *Plinio* & *Dionysio*:
Σῖρις ὑπ' Αἰθιόπων κικλήσκεται.
Siris ab Æthiopum populis cognomine fertur.

Nominis ratio obscurior est: Dignum verò observatu judico quod occasione nominis *Siris* monet eruditissimus *Fullerus*, Miscell. sacr. lib. 2. cap. 8. Dici ab hac voce ἀστέρα σείριον, *Stellam Syriam*, quam *Caniculam* appellamus; ut sit σείριος idem quod νειλαῖος, *stella Nilaica*: quia nimirum eodem ardentissimo æstatis tempore & *Caniculæ* sidus exoritur & *Nilus* abundantissimè crescit, tanquam illius ignes hujus aquas elicerent, pariterq; ambo veluti concordes æstuarent, hic in terris, ille in cœlis.

Coluerunt hoc nomine Canem Ægyptii, quòd fertilis aquæ conciliator putaretur, quia oriente *Canis* stellâ *Nilus* se attollit & irrigationem in Ægyptum invehit; *Ælianus*, De animal. lib. 10. cap. 45. Etsi *Servius* putat sub canis tanquam animalis sagacissimi forma ab Ægyptiis *Mercurium* esse cultum. Alio tamen quoq; nomine canes venerati sunt Ægyptii; quia quo tempore *Osiris* quærebatur, tam homines quàm feras, qui obviàm venêre, amoverunt, & *Osiridis* corpus investigârunt; *Diodorus Siculus*. Quæ ex *Caniculæ* cœlestis exortu veteres prognostica exstruxerint, & quàm sidus hoc metuerint, videatur apud *Mizaldum*, Memorabil. cent. 5. aph. 43.

Veriùs hoc dici videtur quàm quod Eustathius tradit, *Nilo* datum *Siris* nomen ab astro Sirio: quod à Græco σειριᾶν vel σειριᾶν deducunt, & λάμπειν vel ἀστράπτειν esse volunt: cujus tamen significati idonea exempla ex vetustate produci posse vix crediderim. Longè verisimilius est à σῖρις vel σείρεις esse σείριος vel σίριος, à σείριος σειριᾶν.

Siris autem dici videtur à radice Hebræa סור, *secessit, accessit, declinavit*; ob varium *Nili* accessum & recessum per incrementa & decrementa annua. Etsi aliis dici putatur ab Hebræo *Schichor* vel *Sior*, de quo § 7. Alii quoque dici putant ἀπὸ τοῦ εἴρω, ὃ δηλοῖ τὸ συμπλέκω καὶ συναρμόττω· ἐπειδὴ εἱρμῷ τινι καὶ τάξει φέρεται. καὶ οὐ [illegible] τὴν ἀνάβασιν *Eustathius*. Sed si Æthiopicum hoc nomen, ut *Dionysius* vult, Οὐ χρὴ ζητεῖν Ἑλληνικὴν ἐτυμολογίαν αὐτοῦ, *Eustathio* judice. *Heliodoro*, literâ *O* præmissâ, *Osiris* appellatur.

§. 17. XII. *Chrysorrhoas*, hoc est, *aurifluus*, à

Cedreno & *Epiphanio*: non quòd auri vehat arenas, sed quòd fœcunditate suâ inexhaustas Ægypto divitias affundat. Eodem sensu à *Theocrito* appellatur ἀργύρεος Νεῖλος ὁδός.

§. 18. XIII. *Noym*, Ægyptiis: forsan ab Hebræo נעים quod est *jucundum, amœnum & suave esse*. Quid enim posset Ægypto jucundius vel suavius *Nilo* accidere? *Illa facies*, ait *Seneca*, *pulcherrima est, cùm jam se in agros Nilus ingessit*, &c. de quo loco alibi.

§. 19. XIV. *Mahara*, Gorgianis; forsan ab Hebræo מהר *festinavit, acceleravit*, ob motûs velocitatem: unde & ἄσπις Græcis dictus, §. 9.

§. 20. XV. *Abbabuius* ab accolis nominatur, autore *Jovio*, lib. 18. Hist. Legit tamen *Lælius Bisciola*, *Abacchius*: putátque vocem partim Hebraicam vel Syriacam, partim Græcam esse: *Ab* enim Hebræis *pater* est, χέειν *fundere*: quia fluminum pater *Nilus*. Pertinet huc quoq; Abyssinorum *Abanhi*.

§. 21. XVI. *Syene*, Dionysio, à celebri Thebaidis oppido, sub Cancri tropico, in quo, cùm Sol ejus signi partem ingreditur in qua solstitium efficit, corpora nullam umbram spargunt: Ἄσκιοι κατὰ μεσημβρίαν εἰσὶν οἱ ἀστρολογικοὶ γνώμονες, διὰ τὸ ἐπικεῖσθαι τοὺς τόπους τούτους τῷ τροπικῷ, *Eustathius*. Unde illud *Lucani*,

Atque umbras nusquam flectente Syene.

§. 22. XVII. *Dyris*, ut observatum à *Pierio Valeriano* lib. 46. quo *recens* & *novum* notari volunt, quòd singulis annis Ægyptum quasi renovet, inducto recenti limo. Quid si verò dicatur à radice Hebræa דור *habitavit*, quòd fœcunditate suâ Ægyptum olim populosissimam & maximè habitatam fecerit: ut ostendimus cap. 22. §. 13. *Strabo* tamen scribit Atlantem Libyæ montem à Barbaris *Dyrin* appellari, & ab hoc monte flumen nostrum sortiri nomen, quia vulgò ex Atlante originem putatur trahere. De montis nomine *Straboni* assentiuntur, *Plinius* lib. 5. cap. 1. *Solinus* lib. 18. *Vitruvius* tamen non montem sed *Nilum* ex Atlante ortum ait vocari *Dyrin*, qui pòst mutato nomine *Niger*, & postremò, ubi in Ægyptum pervenit, *Nilus* dicatur, lib. 8. cap. 2.

Hactenus insigniora *Nili* nomina: præter quæ & alia sunt, ut *Tacui*, *Alaodexton*, *Pisson*, *Bahar-Ennil*, de quibus *Ortelius* in Thesauro Geographico.

CAPUT II.

Nili caput seu ortus.

Obscurum Nili caput, §. 1. *à Regibus solicitè omnibus ferè seculis quæsitum*, § 2, 3, 4. *Vera sententia de Nili ortu*, §. 5, 6, 7, 8. *Falsa sententia*, §. 9. *Occasio erroris*, §. 10.

§. PRimum institutæ nostræ commentationis caput hactenus expedivimus: Ad alterum progredimur; De *Nili* ortu. Ortum *Nili* investigare frustaneæ diligentiæ conatus olim habitus est: Unde in proverbium abiit, *Nili caput quærere*: quod usurpatur de re supra humanas vires ardua. Quam sententiam primus videtur prodidisse *Herodotus* lib. 2. quem secuti alii, & in iis *Tibullus* lib. 1. Eleg. 7.

Nile Pater, quanam possum te dicere causa,
Aut quibus in terris occuluisse caput?

Lucanus lib. 10.

Arcanum natura caput non prodidit ulli,
Nec licuit populis parvum te, Nile, videre,
Amovitque sinus, & gentes maluit ortus
Mirari quàm nôsse tuos.

Claudianus:

Qui rapido tractu mediis elapsus ab Austris,
Flammiferæ patiens zonæ cancriq; calentis,
Fluctibus ignotis nostrum procurrit in orbem,
Secreto de fonte cadens, qui semper inani
Quærendus ratione latet, nec contigit ulli
Hoc vidisse caput: fertur sine teste creatus.

Ovidius cum auctario figmenti poetici idem exprimit, 2. Metamorph.

Nilus in extremum fugit perterritus orbem,
Occuluitque caput, quod adhuc latet: ostia septem
Pulverulenta vacant, septem sine flumine valles.

Hinc scribit *Herodotus*, neque Ægyptiorum neque Afrorum quenquam à se repertum qui fateretur se scire *Nili* ortum. *Origines fontium Nili*, inquit, *Ammianus Marcellinus* lib. 22. *ut mihi quidem videri solet, sicut adhuc factum est, posteræ quoq; ignorabunt ætates. Frustrà speret quisquam se Nili vestigia ulla consecuturum, propter cataclysmi & aquarum maximas inundationes, quæ pristinam terræ formam prorsus immutârunt*: Scribit *Christianus Adrichomius* in Theatro terræ sanctæ.

§. 2. Et certè mirum in modum humanam curiositatem omnibus seculis exercuit tam abstrusi ortûs investigatió. A Regibus & Imperatoribus ambitiosè certatum de gloria inventi capitis Nili. *Magnus Alexander* cum *Sesostre* Ægyptiorum Rege totam Æthiopiam, ad regionem usque Cinnamomiferam, pervagatus est, ut Nili fontes quæreret.

Tandem verò in India sibi visus caput reperisse,pro Nilo Indum (est enim insignis Nili & Indi convenientia,ut παραλλήλως ostendit *Philostratus* lib. 6.) accepit, literásque de invento à se Nili capite exsultabundus ad matrem *Olympiadem* destinavit. Cùm verò intellexisset Indum in Oceanum exonerari, & cum Ægypto nihil commune habere, quod de Nilo ad matrem scripserat ex epistola delevisse dicitur; *Arrianus* lib. 6. De exped. *Alexandri M.* Eodem accensus studio *Cambyses* ad Meroen insulam usque progressus legitur: Tentavit idem *Ptolemaus. Nero*, autore *Senecâ* lib. 6. Quæst. nat. duos centuriones emisit, qui Regum Æthiopiæ auxilio ad ulteriora Æthiopiæ sunt progressi, tandémq; ad immensas paludes devenerunt,quarum exitum nè incolæ quidem noverant,nec spes ulla erat noscendi,quòd implicatæ essent aquis herbæ, nec pedibus nec navigio eluctabiles. *Juba*, autore *Plinio* lib. 5.cap.9.in monte inferioris Mauritaniæ, non procul ab Oceano,invenit lacum protinus stagnantem,quem vocant *Nilidem*. *Dicaarchus* Hammoniorum Rex juvenes duos Nazamones aquis & cibariis probè instructos ad rei hujus investigationem emisit,qui interiorem Libyam penetrârunt, & tandem emensi solitudines ad urbem devenerunt, quam ingens fluvius ab Occasu in Ortum præterlabebatur,in quo,ut in Nilo, Crocodili apparebant; *Herodotus*. Videatur & *Strabo* l.17. ubi ante alios laudatur *Ptolemaus Philadelphus*, cujus in hoc curæ maximè evigilârunt.

§. 3. Imperatorum, Regum & Principum Romanorum, Græcorum, Ægyptiorum & Persarum solicitudinem in Nili capite investigando egregiè describit Poeta nobilis *Lucanus* lib. 10.

Quæ tibi noscendi Nilum, Romane, cupido est,
Hæc Phariis Persisq; fuit, Macedumq; Tyrannis:
Nullaq; non ætas voluit conferre futuris
Notitiam: sed vincit adhuc natura latendi. (rat,
Summus Alexander Regum, quem Memphis ado-
Invidit Nilo, misitque per ultima terræ
Æthiopum lectos: illos rubicunda perusti
Zona Poli tenuit; Nilum videre calentem.
Venit ad occasum mundiq; extrema Sesostris,
Et Pharios currus Regum cervicibus egit:
Antè tamen vestros amnes, Rhodanumq, Padúmq;,
Quàm Nilum de fonte bibit. Vesanus in ortus
Cambyses longi populos pervenit ad ævi,
Defectusq; epulis, & pastus cæde suorum,
Ignoto te, Nile, redit. Non fabula mendax
Ausa loqui de fonte tuo est: ubicunque videris,
Quæreris: & nulli contingit gloria genti,
Ut Nilo sit læta suo.

§. 4. Nec cum veteribus Regibus & Principibus mortua hæc sciendi cupiditas: Ad nostrorum quoq; seculorum Principes tam barbaros quàm Christianos propagata est. Turcici enim Imperatores sæpe emiserunt qui Nili caput quærerent, quiq; sumto secum in duobus vel tribus navigiis commeatu, totius biennii, quandoq; & triennii spatio vastas solitudines in India peragrârunt, & tandem infectâ re,multis per æstum absumtis, redierunt; *Johannes Tucherus Noricbus*, in Descriptione itineris sui in terram sanctam. Idem à multis Sultanis factitatum scribit *Breidenbachius*. Rex Portugalliæ *Emmanuel* anno 1520. ad Magnum Abyssinorum Regem, quem *Presbyterum Johannem* appellant, legatos misit, quos inter *Franciscus Alvares* erat, cui id quoque à Rege datum negotii, ut Nili ortum describeret: quod cum laude præstitit.

§. 5. Nili igitur caput nostro hoc seculo non usque adeò ignotum vel obscurum est. Veteribus pronus in errorem lapsus fuit, ex locorum inscitia, ut ait *Diodorus Siculus* lib. 1. cui non ità obnoxii nostrorum temporum homines, quos insana propemodum peregrinandi libido incessit, adeò ut vix ampliùs habeat natura quo majestatem suam occultet. Parùm ergò abest quin norimus *qui prima bibant deprensi flumina Nili*; *Martialis* in Amphith. Cæsaris.

Paulus Jovius Historiarum sui temporis lib. 18. originem Nili accuratè describit, ex relatione *Petri Abyssini* viri doctissimi; *Ab immensis*, inquit, *asperrimisque rupibus, quæ Lunæ montes vocantur, frequenti & copiosâ scaturigine Nili fontes erumpunt, in loco vehementer abstruso, qui* Beth, *hoc est desertum, Abyssinâ linguâ dicitur. Ex iis fontibus innumerabiles amniculi per Gorgiani regni spatia modò dissipati modò coeuntes in longè maximam toto orbe aquæ dulcis paludem effunduntur. Ex hac tanta palude Nilus primò lenis mox rapidus & præceps sese effundit.* Cum *Jovio* consentit *Orosius*, De rebus gestis Regis *Emmanuelis* lib. 9. Scripsit idem ante hos *Philostratus* lib. 1. Icon. Νεῖλος μὲν Ἀιγύπτιοι ἔχουσι τὰς ἐκβολὰς, Ἀιθίοπες δὲ τὰς πηγάς.

§. 6. Ab hac relatione non dissentiunt recentiores Geographi, qui duos ingentes lacus intra Tropicum Capricorni & Æquatorem describunt: unum ad Ortum, qui minor, & *Zaflan*, aliis *Zaban*, appellatur: alterum ad Occasum, qui major, & *Zembre* nominatur: in quo,præter Crocodilos & Hippopotamos, Tritones & Sirenes conspici dicuntur: *Quam longè maximam toto orbe aquæ dulcis paludem Jovius* ex *Petri Abyssini* ore dicit esse: & verissimè: longitudo enim ejus est milliar. Germ. 136. latitudo 80. in qua ampliùs 20 insulæ numerantur,incolis adeò frequentes ut nonnullæ vel 30000 hominum in bellum agant, multisq; excultæ ædificiis & urbibus,

in quibus turrita templa & luculenta cœnobia. Ex hisce lacubus duo validi effluunt fluvii, qui Æquatorem transcurrunt, & in Abyssinæ regione *Bagamidri* coeunt, Niliq; nomen, ex multorum sententia, accipiunt. Etsi ex aliorum Geographorum sententia, ex sola palude *Zembre* Nilus effluit, & nomen ipso statim effluxu, cis Æquatorem, sortitur: quam & nos veriorem sententiam judicamus, & Nili majestati accommodatiorem.

§. 7. Qui ab ipsis lunæ montibus magis ad Austrum vergentibus Nili caput cum *Ptolemæo* arcessunt, non videntur contemnendi, Sed dicendum tum fuerit, vel ab ipso Nilo paludem *Zembre* effici, loci forsan concavitate flumen excipiente & in ingentem paludem diducente, (in qua sententia video *Albertum Magnum* esse, De natura locor. tract. 3. cap. 4. ubi ait in Æthiopia lacum à Nilo fieri qui in ambitu contineat mill. 153. cui sententiæ & nos lubentes accedimus) vel paludem istam ex aliis fontibus ortam à Nilo pertransiri: quomodo & maria transcurrunt fluvii, aquámque magna ex parte illibatam retinent, ut alibi ostendimus. Sententiam hanc probabilem reddit *Nicolaus Leonicus*, libr. 2. De varia historia, cap. 56. ubi ait, haberi cùm Ægyptiorum tum Græcorum etiam, qui in Æthiopiam pervenerunt, locupletissimos testes, qui dicant Nilum amnem quendam ingredi lacum, quem integris aquis veluti terrarum quoddam solum impermixtus transmittat. Videtur hoc descriptum ex *Pausaniæ* lib. 5. *Quotcunque*, inquit, *Græcorum vel Æthiopum in Æthiopiam supra Syenen & Meroem profecti sunt, Nilum narrant paludem quandam ingressum, atque indè tanquam è continenti terra lapsum per Æthiopiam inferiorem in Aegyptum decurrere.*

Ad Lunæ montes regnum *Goyome* est: unde Rex Abyssinus se *Regem Goyome* scribit, *ubi Nilus oritur*. Integrum Regis Abyssini seu *Pretiosi Joannis*, titulum, si cui fortè curioso nôsse libet, adscribam, idque tantò libentiùs, quia regna, quorum in eo fit mentio, Occidentem versùs, noster Nilus præterlabitur, & ex iis derivata flumina plurima excipit. Est ergò titulus hujusmodi; *Dilectus à Deo, Columna fidei, Cognatus stirpis Judæ, filius David, filius Salomonis, filius columnæ Sion, filius seminis Jacob, filius manus Mariæ, filius Nau per carnem, Imperator magnæ & altæ Aethiopiæ magnorum regnorum, ditionum & terrarum, Rex de Xoa, de Caffate, de Fatigar, de Angote, de Baru, de Baalganze, de Adea, de Vangue, de Goyome, ubi Nilus oritur, de Damaraa, de Vaguemedri, de Ambeaa, de Vague, de Tigri Mahon, de Sabaym, unde fuit Regina Saba, de Barnagoes, & Dominus usque ad Nobiam finem Aegypti*; *Damianus à Goes*, De Æthiopum moribus, ex literis Æthiopiæ Regis *Davidis* ad *Immanuelem* Portugalliæ Regem.

§. 8. Jesuita *Caspar* ex Ormutio scribit, Nilum non oriri ex Lunæ montibus, sed ab aliis montibus, qui Bonæ spei promontorio sunt conjuncti. Sed paucos habet suffragatores: Interim tamen à recepta & vera sententia non planè discedit, nisi quòd aliquantò longiùs ad Austrum progrediatur, & Nili longitudinem augeat. Montes tamen isti Bonæ spei promontoriis conjuncti non videntur à Lunæ montibus avulsi esse: Unde parùm à nobis discrepabit Jesuita.

§. 9. Qui ex Mauritaniæ Cæsariensis monte Atlante Nilum oriri olim tradiderunt, secuti *Jubam* Regem, ut testantur *Plinius* lib. 5. cap. 9. *Solinus* cap. 35. *Ammianus Marcellinus* libr 22. *Vitruvius* lib. 8. c. 2. *Xiphilinus* in *Severo*, ubi ait, ἐκ τοῦ Ἄτλαντος τοῦ ὄρους σαφῶς ἀναδίδοται, non video quî suam cum veritate sententiam possint conciliare: Mauritania enim Cæsariensis ad Occidentem à Lunæ montibus quàm remotissima est: nec ullus inde fluvius Æthiopiam attingit, nisi fortè *Gir*, qui *Niger Mercatori* dicitur, & varia in progressu nomina sortitur, tandémque cùm *Nubiæ* nomine in Nilum influit, & indè nonnullis visus Nilum parere: quos inter *Solinus*, cap. 30. *Omnis hæc plaga*, inquit, *ab Aethiopia & terminis Asiæ, Nigri flumine, qui Nilum parit, ab Hispania freto scinditur*.

§. 10. Errori ansam præbuisse videtur, quòd flumen illud ex Mauritania ortum Nili herbas, pisces & belluas, inq; his Crocodilos, procreare deprehenderetur, *Plinius* lib. 5. c. 9. *Solinus* c. 35. *Vitruvius* lib. 8. c. 2. quam tantò avidiùs arreptam crediderim quia Nilus quoque Niger dictus est, Græcis μέλας, Hebræis *Schichor*. Probabilem facit errorem, quod scribit *Paulus Orosius* Hist. lib 1. c. 2. Fluvium hunc ex Atlante ortum à Barbaris *Dara*, à reliquis accolis *Nuchul* appellari: cùm & verus Nilus *Diris* nominetur, & proprii sui nominis radicem habeat *nachal*. Etsi plerisq; Geographorum, qui propriè *Niger* est, longè alius à *Gir Mercatoris* est. Ortum enim verus *Niger* trahit è finibus Abyssinæ & Regni Biafaræ, non procul ab Æquatore, ex lacu qui *Niger* appellatur, & modico intervallo à Nilo abest: Indè longissimo tractu inter Aequatorem & Tropicum Cancri, multis peragratis desertis, ex ingenti lacu plurimis ostiis in Oceanum effunditur, in Regnis Senega & Gambra, vel Sanaga & Gambea, ad *Capo verde*. Nilo simillimus est Niger quoad exundationem, Crocodilos, & multa alia, ut post alios scribit *Johannes Mariana* Rerum Hispan. lib. 1. cap. 22. Nec Nili nec Nigri cursum aut ortum rectè describit *Vitruvius* lib. 8. c. 2.

CAP.

CAPUT III.

Demonstratur Nilum non fluere è terrestri Paradiso, nec inter Paradisi flumina numerandum esse.

Falsa Theologorum & Philosophorum sententia, §. 1. *Argumenta falsæ sententiæ,* 2. *Argumenta contraria,* 3. *Describuntur à Mose Paradisi flumina, qualia post diluvium fuere,* 4. *Solvuntur argumenta falsæ sententiæ,* 5.

§. 1. INter falsas de Nili ortû sententias celeberrima multorúmq; veterum Theologorum suffragiis munitissima est, quæ Nilum ex ipso Paradiso terrestri ortum ducere, & inter Paradisi flumina esse statuit. Assentiuntur veteribus recentiores quoque, inprimis Pontificii Doctores, inter quos *Conimbricenses.* tract. 9. De meteor. cap. 10. ubi asserunt, Nilum è terrestri Paradiso ortum subterraneis cunicu lis abscondi, tum quasi primùm nasci in quodam Africæ lacu in regno Congensi: quod observatum scribit *Zonardus* ab iis qui nostro seculo loca illa peragrârunt: Ex Paradiso quoque pinguem illam terram quam sterili solo Ægypti affundit, educi, multorum opinio est.

§. 2. Argumenta, quibus in hanc sententiam se pertrahi patiuntur, duo præcipua sunt.

I. Quia Nilus in Scriptura *Gichon* appellatur, Jer. ii. 18. *Quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam Gichon?* ubi Nili aquam intelligi nemo doctorum ambigit. Atqui *Gichon* est inter Paradisi flumina, ut è *Mose* patet.

II. Quia *Gichon* in *Mose* dicitur *circuire Æthiopiam:* Atqui Nilus est qui Æthiopiam transit, ut fatentur omnes Geographi.

§. 3. Ab hac sententia docti nonnulli non sine causa discedunt; & nos cum illis. Argumenta igitur sententiæ priori sequentia opponimus.

I. Si Nilus unus esset è quatuor Paradisi fluviis, hortus in Eden non fuisset ad Orientem, sed ad Meridiem, versùs Occidentem: At falsum posterius: Ergò & prius. Connexi ratio est; Quia regio quam Nilus percurrit non ad Orientem sed potiùs ad Meridiem versùs Occidentem est sita; præsertim si locum spectes in quo libros suos *Moses* conscripsit, & ex quo de Paradisi situ pronunciârit. Scripsit autem libros suos in finibus terræ Canaan, trans Jordanem, ut evidenter demonstrat *Gabriel Kalmarck* in Historica Paradisi descriptione, cap. 2. Cui loco ad Orientem sanè non erat terra quam Nilus pervagatur. Unde evidenti necessitati sequitur, Paradisum non fuisse in ea terra quam Nilus decurrit; hæc enim ad Meridiem & Occidentem est: proindéque Nilum nec in Paradiso ortum, nec inter Paradisi flumina habendum esse.

II. Ex descriptione *Mosis* patet, quatuor Paradisi flumina invicem conjuncta esse, adeò ut ex uno fonte videntur emanare: Sic enim verba habent, Gen. ii. 10. *Fluvius procedit ex Hedene ad irrigandum hunc hortum, & inde sese dividit, fertúrque in quatuor capita.* Atqui Nilus cum Tigri & Euphrate, quæ omnium consensu Paradisi flumina sunt, tale nihil commune habet. Fluunt enim è Septentrione Tigris & Euphrates, ex Armeniæ majoris monte Tauro: Nilus aquas vehit ex Meridie, è Lunæ montibus, qui à Tauro distant milliar. Germ. ampliùs 600. Deinde Tigris & Euphrates in sinum Persicum, Ortum versùs, exonerantur; Nilus verò in mare Mediterraneum, versùs Occidentem & Septentrionem.

III. Si *Moses* per *Gichon* Nilum indigitâsset, fluménque Hebræis notum facere voluisset, haud utiq; dixisset, *Hic est qui alluit totam regionem Cuschi,* hoc est, Æthiopiæ, Gen. ii. 13. sed, *qui peragrat & irrigat Ægyptum.* Notior enim Judæis Nilus erat ex Ægypto, è qua modò exierant, quàm ex Æthiopia, in quam non pervenerant. Et notum aliàs est, Nilum quasi proprium Ægypti censeri.

IV. Scriptura cùm sæpiùs Nili mentionem faciat, nusquam eum *Gichon* nominat, sed *Schichor,* nusquam Æthiopiæ, sed Ægypti flumen appellat; ut suprà monstravimus.

V. Si Nilus ortum duceret ex Paradiso terrestri, in Mesopotamia vel circa eam ortus immensum illud spatium à Mesopotamia (cui terrestrem Paradisum fuisse vicinum evidentibus constat documentis) usq; ad Lunæ montes lapsu subterraneo decurreret, & circa Lunæ montes vel Regnum Congense demum emergeret. At quis mortalium rei hujus fidem nobis fecerit? Tanto paradoxo quid ansam præbuerit, §. 2. vidimus; ejúsque vanitatem §. 5. monstrabimus.

§. 4. Sententiam hæc nostram evidentissimè probant. Attamen contra primam & secundam nostram rationem nonnulli excipiunt, Per diluvium *Noeticum* Paradisi flumina fuisse invicem separata, & longissimè quasi transposita, & describi ea à *Mose,* non qualia post diluvium, sed qualia ante diluvium fuerant: fieri igitur potuisse ut longe alius Nili ante diluvium cursus fuerit. Atqui tanti postulati nul-

nullam habent vel probabilem rationem magni hi viri: Quas enim suprà §. 2. produximus, quàm imbecilles sint mox videbimus: Deinde falsum quoque esse hoc μέγα λίαν αἴτημα arduum probatu non est, modò textus Mosis attendatur. In descriptione enim secundi fluminis Gichon mentionem facit terræ כּוּשׁ, v. 13. quam totam alluit Gichon: Atqui Cusch viri nomen esse post diluuium demum nati, & terræ ab ipso impositum ex Scriptura manifestum est. Cùm igitur ante diluvium terra hoc nomine nulla fuerit, consequens est flumen Gichon ità descriptum à Mose esse uti post diluvium erat; aut si tempora diluvium antecedentia respexit, illam ante diluvium alluisse provinciam flumen hoc cui nomen Cusch à diluvio impositum: quod in reliquis quoque descriptionibus Mosaicis observandum, nostrámque sententiam non minùs firmat.

Sic & Chiddekel describitur à Regione Assur vers. 14. cujus nominis nulla regio ante diluvium fuit: Chavila quoq; nomen vers. 11 diluvio recentius est.

§. 5. Deniq; & hoc observandum, Mosen, cùm fluminum cursum describit, præsentibus uti temporibus, non præteritis, ut omnino faciendum erat si fluminum cursus alius ante diluvium fuisset: sic exceptioni huic satisfactum arbitramur.

Ad argumenta §. 2. nobis opposita breviter hunc in modum respondemus;

Ad I. Nilus in textu Hebræo nunquam Gichon appellatur: in allegato verò loco Schichor nuncupatur, quod suo periculo in Gichon Græci mutàrunt: Videatur cap. 1. §. 15.

Ad II. Duas Æthiopias Homerus olim fecit, judicio Strabonis, lib. 1. Plinii lib. 5. cap. 8. unam Occidentalem, alteram Orientalem. Cùm igitur Gichon circuire dicitur Æthiopiam, Orientalis intelligenda est, vicina Palæstinæ & Syriæ. Nilus verò Occidentalē, quæ ad Meridiem protenditur, percurrit. Dari Æthiopiam Palæstinæ & Syriæ vicinam demonstrat Pererius ex multis Scripturæ locis, tom. 1. comment. in Genes. lib. 3. num. 114.

CAPUT IV.

Nili magnitudo & cursus.

Nilus fluviorum maximus, §. 1. *Longitudo*, 2, 3. *Nili Insulæ*, 4. *Marium insulæ*, ibid. *Aqua Nili inter Regum gazas observata*, 5. *Latitudo*, 6. *Nili profunditas*, 7. *Describitur cursus à* Jovio, 8 *à Poetis*, 9. *ex tabulis Geographicis*, 10. *An infra terram se condat*, 11, 12, 13, 14. *An dividat Asiam ab Africa*, 15. *Nilus cum Danubio comparatur*, 16.

§. 1. HActenus alterum nostræ commentationis caput, De Nili ortu: Sequitur tertium, De Nili magnitudine, cursu, catadupis seu cataractis, & fluminibus influentibus.

Omnium unanimi consensu Nilus omnium fluviorum maximus est: idque inde licet æstimare, quòd perpetuam simul hyemem & æstatem patiatur; in ortu enim cùm hyemem habet, in exitu æstatem habet: unde diem quoque simul & noctem habet; quod nulli fluviorum contingit.

§. 2. Facilè hoc admittunt ii qui eam Nili longitudinem esse nôrunt, ut à Lunæ montibus per Æquatorem & circulum Cancri in mare Mediterraneum decurrat, quod intervallum est graduum circiter XXXV. Nonnulli tamen cursum ejus, si rectus esset, nullisque ambagibus inflexus, ad milliar. Germ. 700 extendunt. Cùm verò plurimis quæsitis ambagibus, cogentibus ità montium obstaculis, multiplici flexu Æthiopiam pererret 900, vel 1000 mill. Germ. longitudinem ejus æstimant.

§. 3. Favet assertioni nostræ Pomponii Melæ conjectura, lib. 1. cap. 9. *Quòd si*, inquit, *est alter orbis, suntque oppositi nobis à Meridie Antichthones, nè illud quidem à vero nimium abscesserit, in illis terris ortum amnem, ubi subter maria cæco alveo penetraverit, in nostris rursus emergere, & hâc re solstitio accrescere, quando tum hyems sit unde oritur.* Nicagoras, apud Scholiastem Apollonii, ait, ἀπὸ τῶν ἀντίχθων αὐτὸν ῥεῖν. Similia habet Strabo lib. 1. & Claudianus. Franciscus Alvares testatur in Abyssinorum regione, quam Nilus pervagatur, hyemem circa medium nostrum Junium incipere, & in Septembri finiri. Hos verò in Aegypto æstivos esse menses, quibus Nilus exundat, certum est. Suffragatur Cardanus Subtilitat. lib. 2. Ocularis demonstratio habetur in globis & tabulis Geographicis. Cùm enim Sol Cancri Tropicum attingit, ab iis qui Aequatori sunt propinqui remotissimus est, & contrà verticalis iis qui ad Cancri Tropicum sunt; unde his æstatem, illis hyemem producit, etsi longè quàm apud nos clementiorem. Atqui tam hi quàm illi Nilum bibunt. Unde verissimum esse colligimus quod capitis hujus §. 1. diximus.

§. 4. Porrò Nili longitudinem & hinc æstimare est, quòd Diodoro Siculo teste, insulas 700 circumluat, Plinio lib. 5. cap. 9. innumeras, Strabone lib. 17. quam-

quamplurimas, quæ tamen pleræque steriles dicuntur esse & inhabitatæ propter solum sabulosum. Nec fides videtur deroganda *Diodoro*. Cùm enim loca percurrat longè asperrima, & tot in progressu ambages quærat ut spatium ferè mill. Germ. 1000 pererret, dubium sanè nullum est quin insulas longè plurimas efficiat, repulsus subinde ab occursantium terrarum asperitate, duritie, & inæqualitate. Sic in uno & modico Illyrici maris tractu *Plinius* olim numeravit 1000 insulas. Proximè circa Cubam Oceani Indici insulæ amœnissimæ 700 numerantur; *Petrus Hisp.* part. 5, cap. 9. A Mozambique rectà in Malaccam tendentibus insulæ peragrandæ sunt 12000, *Nicolaus de Comitibus*. Denique ex hoc noveris, amice Lector, in Indica Orientalis Oceani plaga insulas numerari 24000.

§. 5. Hactenus longitudo Nili, quam olim magnitudinis suæ argumentum ostentàrunt Monarchæ Babylonici, & hâc fini ex Nilo vel Istro aquas, quòd per tot spatia terrarum tótque invias regiones advectæ fuerint, inter gazas suas condere assueverint; *Alexander ab Alexandro*, lib. 4. Dierum genial. cap. 17. desumtum id ex *Plutarchi Alexandro*.

§. 6. Latitudo non usque adeò magna est, quia maximam partem montium faucibus arctatur. *Inter navigandum*, inquit *Aristides*, *præter Elephantinen Nili flumen conclusum dixeris, & propemodum eum subter rupem credideris fluere: quinetiam nescio quanto ante Elephantinen spatio sic videbis coire montes ut nihil præter flumen interjectum cernas, atque eadem sit Aegypti quæ Nili latitudo*. Assentitur *Marinus Sanutus* lib. 3 part. 14. cap. 12. In aliquibus tamen Abyssiniæ provinciis ex multorum amnium concursu dimidium mill. Germ. æquare dicitur. Attamen *Diodorus Siculus* minimam latitudinem stadiorum X. assignat, libr. 1. ubi infra Meroen pervenit, latitudinem XXII stad. habet (*Seneca* & *Diodorus Siculus*) quæ dimidium mill. Germ. excedunt.

Qui nostris temporibus loca isthæc peragrârunt, maximam latitudinem ad miliare Germanicum extendunt; *Michael Neander* part. 3. orbis terræ. Qui minimum viderunt, in locis nonnullis Danubio nec latiorem nec profundiorem fuisse memorant: ut constat ex Epistola ad *Chytræum* exarata, quam opusculo suo subjicit *Neander*. Minima vero latitudo etiam intra Meroen aliquibus in locis non explet X stadia à *Diodoro* assignata. In ipso enim Aegypti meditullio ità locis nonnullis arctatur ut medium Nili secantes ex littoribus igne infestari possint, (*Marinus Sanutus* libr. 2. part. 4. cap. 1.) quod non de ipso Nili corpore sed brachiis ejus videtur accipiendum. Circa Memphim ponte olim junctus est à *Selymo*; *Jovius* lib. 8.

§. 7. De maxima Nili profunditate certi nihil habeo: dubium tamen non est quin locis nonnullis sit profundissimus, iis præsertim quibus in planitiem è montium cacuminibus præcipitatur. Crediderim certè neutiquam Danubio eum hâc parte cedere, cujus altitudinem in locis nonnullis 200 ped. esse scribit *Jornandus*: quo nomine ab *Apollonio* βρεχαδυς, ab *Horatio profundus* appellatur.

Non qui profundum Danubium bibunt.

Brachia verò Nili seu ostia in locis nonnullis sat humilia deprehenduntur, adeò ut jumentis & hominibus transitum permittant: cujus periculum olim fecit *Perdiccas*, qui circa Memphim cum copiis suis Nilum transiit, aquâ peditibus ad mentum usque pertingente. Ne autem fluminis impetu abriperentur, è sinistra transitûs parte statuit elephantos, qui aquæ impetum sustinendo frangerent, è dextra equites, qui à flumine forsan abreptos pedites exciperent: quo pacto è primis multi tutò trajecerunt. Postremum tamen agmen in summas difficultates incidit: Flumen enim nullâ manifestâ causâ altius factum plurimos totis corporibus demersos hausit: Causam ex improviso auctæ profunditatis diu multúmq; indagantes tandem deprehenderunt, pedibus elephantorum, equorum peditúmque transeuntium calcatam & agitatam alvei arenam cessisse, vadóque excavato altiorem fluminis trajectum in medio factum; cùm primi sine periculo transirent, quòd altiore arenâ sustinerentur; *Diodorus Siculus* lib. 18. Hactenus de Nili magnitudine.

§. 8. Cursum Nili nostri *Jovius* lib. 18. ità describit, Ex *hac palude tanta* (de qua suprà cap. 2. § 6.) *Nilus primò lenis, mox rapidus & præceps sese effundit, variisque mæandris & gyris Nigritarum fines lambens, Gorgianum regnum, & mox Amuranum, insolenti cursu proscindit: nec usq; ripis cohibetur, donec ad Cataractas, quæ sunt antiquis Catadupæ, arctis rupium angustiis strangulatus & iratus erumpat. Inde latiore laxatus exceptúsque alveo lenior fit atque diffusior, & per magnos flexus vadosósque sinus navigiorum impatiens ad Meroen Insulam defertur. Inde occurrit urbi Syenæ. A Syenâ demum navigatur, & utrumque ripam Ægyptii & Arabes incolunt.* Hæc ex relatione *Petri Abyssini*, quæ etiam cum nostris Geographis conveniunt. Videatur descriptio *Plinii*, libr. 5. cap. 9. *Solini*, cap. 35. *Pomponii Melæ*, libr. 1. cap. 9. Dissensûs nonnihil

nihil est in assignanda Nili origine: in reliquo cursu explicando ferè consentiunt.

§. 9. Sed & Poetas super hac re minimè fabulosos audire libet, ut utilibus dulcia misceantur. De Nili igitur cursu ità canit *Lucanus* libr. 10. De bello civili,

——Medio consurgit ab axe,
Ausus in ardentem ripas attollere Cancrum :
In Borean is rectus aquis mediúmque Booten.
Cursus in Occasum flexus torquetur & ortus.
Nunc Arabum populis, Libycis nunc æquus arenis.
Téque vident primi, quærunt tamen hi quoq; Seres:
Æthiopúmq; feris alieno gurgite campos:
Et te terrarum nescit cui debeat orbis.
——Solíque vagari
Concessum per utrosque Polos. Hic quæritur ortus
Illic finis aquæ. Latè tibi gurgite rupto
Ambitur nigris Meroe fœcunda colonis.
Inde plagas Phœbi damnum non passus aquarum
Proveheris, sterilésque diu metiris arenas;
Nunc omnes unum vires collectus in amnem,
Nunc vagus & spargens facilem tibi cedere ripam:
Rursus multifidas revocat piger alveus undas,
Quà dirimunt Arabum populis Ægyptia rura,
Regni claustra Philæ: mox te deserta secantem,
Quà dirimunt nostrum rubro commercia pontum,
Mollis lapsus agit.

Tandem verò postquam Cataractarum, de quibus sequenti capite, angustias superavit,

Hinc montes natura vagis circundedit undis,
Qui Libyæ te, Nile, negent: quos inter in alta
It convalle jacens jam molibus unda receptis.
Prima tibi campos permittit apertáque Memphis
Rura, modúmq; vetat crescendi ponere ripas.

Eâdem de re suavissimè & *Claudianum* canentem audiamus:

Qui rapido tractu mediis elapsus ab Austris,
Flammiferæ patiens Zonæ Cancríque calentis,
Fluctibus ignotis nostrum procurrit in orbem,
Flumina profundens alieni conscia cœli.
Inde vago lapsu, Libyam dispersus in omnem,
Æthiopum per mille ruit nigrantia regna,
Et loca continuo solis damnata vapore
Irrorat, populísque salus sitientibus errat
Per Meroen, Blemidásq; feros, atrámque Syenen.
Hunc bibit effrænis Garamas, domitórque ferarum
Cyrtæus, qui vasta colit sub rupibus antra.

§. 10. Si tabulas Geographicas modernas accuratissimas & è frequentibus peregrinationibus stupendisq; navigationibus emendatissimas inspexeris, omnis Nili cursus ad oculum patebit. Nempe à vastissimis Lunæ montibus in Regno Goyome, inter Tropicum Capricorni & Æquatorem, incipit, indéq; in ingentem *Zembre* lacum infunditur, è quo ad urbem Tacui (à qua Nilus quoque Abyssinis *Tacui* denominatur) sese effundit, & inter Regna Damut & Ambian Æquatorem transit. Inde inter vastas regiones Tigrai & Bagamidri ad Septentrionem pergit, & Nubiæ regnum ab Abyssinia dividit. Ad medium Nubiæ regnum in finibus Abyssiniæ sese pandit, & insulam longè maximam ac nobilissimam Meroen, quæ *Gueguere* hodie appellatur, efficit: A qua ad Cancri Tropicum contendit, eúmq; secat prope Syenen, quæ *Asna* modò dicitur, & Ægypti versus Austrum initium censetur. Ab hac urbe rectiori cursu totam Aegyptum percurrit uno alveo, nisi quòd Insulas aliquot inter Syenen & Cairum efficiat. Cairum verò postquam attigit, in duo ingentia brachia finditur, quorum unum Canopicum, ad Occasum; alterum Pelusiacum, ad Ortum: quibus in mare Mediterraneum evolvitur. Spatium utroq; brachio conclusum & mari Mediterraneo præcinctum, *Delta* appellatur, figurâ literæ Græcæ majusculæ Δ.

§. 11. *Plinius* lib. 5. c. 9. existimat Nilum sæpiùs abscondere, & longa terrarum spatia emetiri in cuniculis subterraneis, præsertim in locis desertis, quæ hominum commerciis non frequentantur. Verba ejus observatu digna hæc sunt, *Ex hoc lacu* (Nilide) *profusus indignatur fluere per harenosa & squalentia, condítq; se aliquot dierum itinere: mox alio lacu majori in Cæsariensis Mauritaniæ gente Massæsylum erumpit, & hominum cœtus veluti circumspicit, iisdem animalium argumentis: iterum harenis receptus conditur rursus* XX *dierum desertis, ad proximos Aethiopes: atq; ubi iterum senserit hominem, prosilit fonte, ut verisimile est, illo quem Nigrin vocavere. Inde Africam ab Aethiopia dispescens, etiamsi non protinus populis, frequens tamen feris & belluis, sylvarúmq; opifex, medios Aethiopas secat, cognominatus Astapus, quod illarum gentium linguâ significat aquam è tenebris profluentem.* Eadem propè scribit *Solinus* cap. 35.

§. 12. *Scaliger* verò Exerc. 48. ait pro comperto & certo haberi Nilum nusquam intercipi. Cum *Scaligero* consentit *Boterus* lib. 3. Cosmograph. ubi sententiæ *Plinianæ* vel erroris occasionem detegit; Nempe creditum à veteribus Nilum lapsu subterraneo ferri, quia angusta & ob montium obstacula inaccessa loca percurrit, donec in lacum ingentem prope Aequatorem effundatur.

Sed verior, meo quidem judicio, istius erroris, si error est, occasio fuerit alius error, quo à veteribus creditum oriri Nilum ex Cæsariensis Mauritaniæ monte, & eundem esse cum *Gir* vel *Nigro Mercatoris*, qui alicubi videtur infra terram se abscondere.

Nisi

Nisi à *Plinio* facta esset mentio Cæsariensis Mauritaniæ, videri posset *Plinius* de vero Nigro, (cujus ortum & cursum descripsimus cap. 2. §. 9.) loqui, qui in finibus regni Nubiæ subter terram se condere, & mill. LX spatium emensus in vastis Libyæ solitudinibus demum rursus emergere dicitur.

§. 13. *Simon Maiolus*, Dier. Canic. colloq II de fluviis, in cursu Nili & hoc mirandum esse notat, quòd contrariâ reliquis aquis naturâ adscendat: *A Nilide*, inquit, *ad Alexandriam tanta dimensio graduum est quanta vix dici queat, & nullo ferè declivi cursu semper videtur in altum tendere: atque ità fit ut totus ille fluvius sit naturæ miraculis refertus* Respondet verò ad difficultatem hanc; Inde, quòd tot gradibus adscendat, deprehendi, subterraneis eum locis, antequam emergat, descendisse per immensa terrarum spatia à Paradisi priori origine. Omnium enim peritorum sententia est, Aquas tantundem adscendere quantum descenderunt.

§. 14. Sed quod de ortu Nili è Paradiso *Maiolus* scribit, refutatum à nobis est, cap. 3. Quod de cursu subterraneo addit, à recentioribus quoque non admittitur, ut antè vidimus Si tamen non ipsius fluminis sed fontis cursum subterraneum intelligat, concedi sanè poterit è celsissimo loco, nempe Lunæ montibus, Nili fontem descendere; indéque Nili aquas tantundem adscendere quantum descenderunt. Sed probabilius fortean videri possit profundissimo alveo Nilum decurrere iis in locis quæ acclivia sunt & cursui aquæ obniti videntur posse, vel certè multis ambagibus altitudinem terræ vel montium obstantem declinare, intérque convalles tandem fluere. Non dissentiunt Historici vel Geographici.

§. 15. Ad hanc de Nili cursu, quem hactenus delineavimus, disputationem pertinet quæstio inter Geographos controversa, *An Nilus dividat Asiam ab Africa*. *Pomponio Melæ*, lib. 1. cap. 4. *Plinio*, lib. 5. cap. 9. *Polybio*, lib. 3. & aliis veteribus placet affirmativa. *Ptolomæus* verò limitem magis ad Ortum transfert, & Arabico sinu Asiam ab Africa disterminari contendit; quo cum faciunt *Abrahamus Ortelius* & *Robertus Hues*. Ratio ipsorum hæc est; Si Nilus Asiam ab Africa dirimeret, Ægyptus distraheretur: At falsum hoc: Ægyptus enim ad unam orbis partem, non ad duas pertinet. Sequeretur etiam ex priori sententia, Æthiopiam, cui *Presbyter Joannes* imperitat, Asiæ annumerandam esse, quam omnes hodie ad Africam referunt. In posteriori hac sententia acquiescendum judicamus.

Nescio sanè quid in mentem venerit *Sallustio*, & *Mureto*, qui Nilum inter Europæ refert flumina, Lect. var. lib. 13. cap. 20. quam ne attingit quidem.

§. 16. Ex iis quæ dicta nobis sunt de magnitudine Nili & cursu, decidi facilè poterit controversia à pluribus tractata scriptoribus, de collatione Nili cum Danubio. Quæritur enim, uter magnitudine præstet.

Nilo Danubium præferre nemo, quod sciam, ausus est; æquare autem, non unus. *Ovidius* in Tristibus.

Ipse papyrifero qui non angustior amne,
Miscetur vasto multa per ora freto,

& in Ponto,

Innumerique alii, quos inter maximus omnes
Cedere Danubius se tibi, Nile, negat.

Cum Ovidio sentit *Celtes*. Poetis hoc videtur condonandum, sed in Geographis, si Poetis assentirentur, minimè ferendum. Nam & longitudine & latitudine minorem Nilo Danubium esse, nemo, opinor, Geographorum hoc nostro seculo ambigit. Longitudo Danubii continet, secundùm *Jorvandum*, pass. 1200000. Quantò major Nili sit longitudo, videatur capitis hujus § 2. Maximam Danubii latitudinem 10 stad. nemo, quod nôrim, facit; etsi ab *Apollonio* εὐρὺς, ab *Ovidio*, κατ' ἐξοχὴν, *latus* appellatur: At minimam hanc esse Nili latitudinem ex autoribus suprà ostendimus. Agnoverunt idem & veteres. *Omnium fluminum*, inquit *Gellius*, lib. 10. cap. 7. *quæ in maria, quà imperium Romanum est, fluunt, quam Græci* τὴν ἔσω θάλασσαν (i. e. internum *mare*) *appellant, maximum esse Nilum consentitur*. Quod verissimè dici ex iis patet quæ dicta nobis hactenus. Unde κατ' ἐξοχὴν, à *Virgilio Magnus* appellatur. Nilo tamen proximus prædicatur *Danubius*: *Ausonius*,

Illyricis regnator aquis, tibi, Nile, secundus
Danubius lætum profero fonte caput.

Mela soli Nilo Danubium cedere testatur. Fassus idem ante *Melam Herodotus*, lib. 4. *Gellius* lib. 10. cap. 7. *Sallustius*.

CAPUT V.

Catadupæ seu Cataractæ Nili.

Definitio Cataractæ, §. 1. *Cataracta Nili major & minor*, 2. *Descriptio*, 3. *Fragor Catadouparum*, 4. *Mundana Musica ex Catadouparum sono malè adstruitur* à Macrobio, 5. *Audacia eorum qui ad Nili Catadupas habitant*, 6. *Aliarum Catadouparum exempla*, 7.

In

§. 1. IN Nili cursu memorabiles quoque & ad mirabiles sunt aquarum *Catadupæ* & *Cataractæ*, quibus peculiare hoc caput tribuimus.

Sunt autem Cataractæ, definiente *Marcellino* lib. 22. *prærupti scopuli, è quibus aqua precipitans ruit potiùs quàm fluit.*

§. 2. Hujusmodi Cataractæ insignes in Nilo duæ sunt, major & minor. Major ab insula Meroe, versùs Septentrionem 5300 stad. occurrit: minor inde 1200 stad. circa Syenen, in ingressu fluminis in Ægyptum: Hæc *Strabo*, lib. 17. ex *Eratosthene*. Videtur tamen *Diodorus Siculus* majorem Cataractam agnoscere eam quæ *Eratostheni* minor est.

§. 3. Jam insignem unam atque alteram Cataractarum Nili descriptionem proferre libet.

Diodori Siculi lib. 1. cap. 3. hæc est descriptio, *Tam insignis fluvius solus omnium absque fluctibus quietus & tranquillus est, præterquam cùm fertur inter Cataractas. Locus est latitud. stad. 50 acclivis, præceps in angustum, clausus inter convalles, ubi frequentia saxa scopulis similia aquam magnâ vertigine mirabilique allisam reflectunt, inque contrarium cursum spumis agunt redundantibus, quæ res stuporem adspicientibus præbet. Est enim ità velox hoc in loco aquæ decursus ut sagittæ similis videatur.*

Plinius lib. 5. cap. 9. *Postremò inclusus montibus, nec alibi torrentior, vectus aquis properantibus ad locum Aethiopum, qui Catadupi vocantur, novissima Cataracte inter occursantes scopulos non fluere immenso fragore creditur, sed ruere.*

Seneca explicatissimè lib. 4. Quæst. nat. cap. 2. *Egressus Aethiopiam arenásque, per quas iter ad commercia Indici maris est, præterlabitur. Excipiunt eum Cataractæ, nobilis insigni spectaculo locus. Ibi per arduas excisásque pluribus locis rupes Nilus insurgit, & vires suas concitat. Frangitur enim occurrentibus saxis, & per angusta eluctatus, ubicunque vincit aut vincitur, fluctuat: & illic excitatis primùm aquis, quas sine tumultu leni alveo duxerat, violentus & torrens per malignos transitus prosilit, dissimilis sibi: quippe ad id lutosus & turbidus fluit. At ubi in scopulos cautium intravit, spumat, & illi non ex natura sua sed ex injuria loci color est. Tandémque eluctatus obstantia in vastam altitudinem subitò destitutus cadit, cum ingenti circumjacentium regionum strepitu.*

In scenam quoque *Lucanum* libet producere, ut tantò magis delectet varietas & elegantia sermonis. Sic ille de Cataractis Nili, lib. 10.

——— *Quis te tam lene fluentem*
Moturum totas violenti gurgitis iras,
Nile, patet? sed cùm lapsus abrupta viarum
Excepere tuos, & præcipites Cataractæ,
Ac nusquam vetitis ullas obsistere cautes
Indignaris aquis: spumâ nunc astra lacessis,
Cuncta tremunt undis, ac multo murmure montis
Spumeus invictis canescit fluctibus amnis.

Est & alia haud procul à Nili fontibus Catadupa fluminis *Zaire* in Regno Congiano; Quam ità describit *Gotardus Arthus* in Indiæ Orient. hist. cap. 15. *Ex magnis*, inquit, *scopulis altisque tanto cum impetu & fragore decidit ut vel ad octo leucas exaudiatur: cujus quidem casûs violentiâ, quâ non solùm arenas, sed magnos quoque secum lapides raptat, multæ hinc inde constituuntur insulæ.*

§. 4. Cùm verò ingens ab aquis tam altè præcipitatis fragor vicinis in locis excitetur, Cataractæ quoque *Catadupæ* appellantur, à sono nempe & strepitu quem aqua per scopulos præcipitata edit. κατάδουπος enim Græcis sonus est *è corpore ex alto decidente*; καταδουπεῖν *sonum edere*, vel *cum sonitu decidere*. Scriptores veteres hîc audiamus.

Cicero in Somnio Scipionis, *Nec ullus hebetior sensus in vobis, sicut ubi Nilus ad ea quæ Catadupa nominantur præcipitat ex altissimis montibus.*

Seneca, lib. 4. Quæst. natur. cap. 2. *Eluctatus obstantia in vastam altitudinem subitò destitutus cadit, cum ingenti circumjacentium regionum strepitu: Quem perferre gens ibi à Persis collocata non potuit, obtusis assiduo fragore auribus, & ob hoc sedibus ad quietiora translatis.*

Ammianus Marcellinus, lib. 22. *Nilus omnium diversitate decursa, quæ eum orbem peragranti nationes indidere complures, exundatione ditissimâ ad Cataractas venit: Unde enim accolas, usu aurium fragore assiduo diminuto, necessitas vertere solum ad editiora coegit.*

Ambrosius, lib. 2. Hexaem. cap. 2. *Nilus fluviorum maximus, eo videlicet loco ubi se ex altissimis montibus in Catadupa illa præcipitat, magnitudine fragoris sui aures accolarum obstruit ut audiendi munere carere dicantur.*

Simile quid habet *Beca* Livonæ fluvius, qui præcipiti lapsu & tanto fragore in Oceanum ruit ut sensim homines reddat surdos; *Ortelius*, in Livonia. Trochletæ in Norvegia fragor ad 20000 pass. exauditur; *Olaus*, lib. 20. c. 18. In insula Hispaniola spelunca in monte editissimo est, cujus introitus portæ magni palatii speciem præ se fert. In hac spelunca per densos ac subterraneos meatus ingenti impetu flumina

flumina per quinque millium stadiorum spatium ferri audiuntur, tanto ruentium aquarum strepitu ut qui propiùs accesserit ad tempus surdescat; *Gaspar Ens*, Histor. Occid. Ind. lib. 2. cap. 11.

§. 5. *Macrobius*, in Somnium Scipionis, lib. 2. cap. 4. exemplo Catadouparum mundanam Musicam defendit, adversùs eos qui esse eam negant propterea quòd non exaudiatur. Verba ipsius sunt, *Nec hoc inter prætereunda ponemus, quòd Musicam perpetuâ cœli volubilitate nascentem ideò claro non sentimus auditu, quia major sonus est quàm ut humanarum aurium percipiatur angustiis. Nam si Nili Catadupa ab auribus incolarum amplitudinem fragoris excludunt, quid mirum si nostrum sonus excedit auditum quem mundanæ molis impulsus emittit?* Hæc *Macrobius*. Sed debile hoc Musicæ mundanæ τεκμήριον est. Primùm enim, Nili Catadupas esse ex auditu didicimus; Musicæ mundanæ testimonium auditus non perhibet. Deinde ab accolis Nili Catadupas non exaudiri falsum est, etiamsi fragor auditum eorum valde lædit, ità quidem ut sonos minores ægrè percipiat. Porrò, nullus est sonus tantus quem humanarum aurium angustiæ non percipiant, nisi eo crebriùs percepto sunt obtusæ; cujus verò auditum mundanæ Musicæ fragore obtusum unquam audivimus? Denique, si mundanæ Musicæ fragorem longè maximum aures nostræ non percipiunt, quia obtusæ sunt, multò minùs ex medriocri intervallo alios minores sonos percipient: Atqui falsum hoc, teste experientiâ.

§. 6. Ad Nilum redeamus. Mirum est quod à *Seneca* memoratur de incredibili accolarum fluminis propter Catadupas audaciâ. *Bini*, inquit, *parvula navigia conscendunt, quorum alter navim regit, alter exhaurit. Deinde multùm inter rapidam insaniam Nili & reciprocos fluctus volutati, tandem tenuissimos canales tenent, per quos angusta rupium effugiunt; & cum toto flumine effusi navigium ruens manu temperant, magnóque spectantium metu in caput nixi, cùm jam adploraveris mersósque atque obrutos tantâ mole credideris, longè ab eo in quem ceciderant loco navigant, tormenti modo missi. Nec mergit cadens unda, sed planis aquis tradit.* Referunt idem, etsi minùs accuratè, *Diodorus Siculus*, lib. 1. cap. 3. *Strabo*, lib. 17.

§. 7. Ab hoc capite priusquam digrediamur, trium nobilium Cataractarum, præter Niliacas, mentionem inserere visum est.

Una est in nostra Germania, & quidem in Helvetia prope Scaphusiam, quæ Rheni est, & eleganter describitur à *Josia Simlero*, De Republ. Helvet. libr. 1. *Rhenus*, inquit, *aliquot millia pass. infra urbem (Scaphusiam) per ingentia saxa maximo impetu fertur, & tandem ex altissimis rupibus horrendo sonitu & spumis, nebulæ instar, in altum sparsis præcipitatur, ità ut nullius generis naves illic transire possint. Quare omnes naves quæ ex Acromo & Veneto lacu secundo Rheno descendunt, necesse est Scaphusiæ exonerari. Et hanc ob causam creditur urbi nomen impositum, ut vel à Scapha Scaphusia, vel etiam à navis Germanico nomine Schiffusia nominaretur. Vulgus tamen falsò nomen ab ove derivans nomini insignia accommodata finxit.* Quod observatu dignum.

Altera insignis Cataracta est in Regno Senega, ejúsq; flumine Senegâ, quod Nigri ostium, ad Occidentem, prope *Capoverde*. Tanto verò impetu ex præruptis rupibus Senega præcipitatur ut subtus siccis transire fluminis lapsum liceat; *Johannes Barrius*, Decad. 1. lib. 3.

Tertia in Hyrcania est, ad mare Caspium, quam pulchrè describit *Strabo* lib 11. Cujus verba, ex interpretatione *Casauboni*, hæc sunt, *E præcipitiis supernè imminentibus fluvii tanta cum vi se proruunt, ut, ubi ad actam pervenerint, aquam ejaculentur in mare (Caspium) nè consperso quidem littore: Itaque id etiam exercitibus est pervium, flumine quasi contectum: & incolæ sæpius sacrificandi aut convivia agitandi gratiâ eò se conferunt, aliquando sub specubus istis decumbentes, aliquando sub flumine apricantes, aliique aliter se oblectantes, simul mari ab utraque parte conspicuo, & littore ob humorem herboso atq; florido.*

CAPUT VI.

Flumina in Nilum influentia.

Cardanus *statuit nullum flumen in Nilum influere*, §. 1. *Reprehenditur* à Scaligero, 2. *Astapus & Astaboras in Nilum influunt*, 3. *Conciliantur* Strabo & Ptolemæus, 4. *Nilus è solo lacu Zembre effluit*, 5. *Nubia in Nilum influit*, 6.

AD caput De Nili cursu pertinent quoq; flumina in Nilum influentia.

Sunt autem loca ista quæ Nilus pervagatur paucis irrigua fluminibus. Unde *Cardanus* ausus est affirmare, in Nilum nullum omnino flumen influere: Quod alii quasi quandam Nili majestatem sunt interpretati, quòd se solo contentus alterius fluminis aquis suas profanari non patiatur.

§. 2. Ve-

§. 2. Verùm negligentiùs hoc à *Cardano* scriptum (idem tamen ante *Cardanum* & *Herodotus* scripsit) animadvertit *Scaliger* Exerc. 48. ubi ait minimo negotio *Ptolemæum* ipsi consulere licuisse: è quo duos excepisset fluvios, unum, qui *Astapus*, Aethiopum linguâ, significaret aquam tenebrarum; alterum, quem è Coloa palude productum nominat *Astaboram*. Ubi notat quoque erràsse *Plinium*, qui Nilum cum iis unum putârit.

Cum *Ptolemæo* consentit *Eratosthenes* apud *Strabonem* lib. 17. sed locorum circumstantias accuratiùs notat: *Nilus*, inquit, *duo flumina excipit è lacubus quibusdam ex Oriente delata, & Meroen ingentem insulam complectentia, quorum alterum dicitur Astaboras, ad Orientale latus fluens, alterum Astapus, quod nonnulli Astosabam vocant.* Astapum verò ait fluere è lacubus quibusdam à Meridie, atq; hunc verè Nili corpus efficere.

§. 3. Quòd si Astapus & Astaboras insulam Meroen complectuntur, & quidem ab Oriente deferuntur, ut *Ptolemai* quoq; tabula ostendit, alii nulli videntur esse fluvii quam qui ex provinciis Regi Abyssinorum subjectis, *Balli*, *Fatigar*, *Angote*, *Amara*, *Beleguanza*, *Barnagasso*, *Baru*, *Lacca*, *Dangali*, *Dobas*, *Olabi*, *Xoa*, *Ambian*, & aliis defluunt plurimi, & ab uno tandem recepti flumine in Nilum deferuntur prope Meroen. Ex istis verò fluviis, qui à latere Orientali omnes fluunt, duos tantùm præcipuos crediderim vetustati cognitos, unúmq; *Astapum*, alterum *Astaboram* appellatum fuisse.

§. 4. Videntur tamen dissentire nonnihil *Eratosthenes* & *Ptolemæus*. Nam apud *Strabonem Eratosthenes* ait, Astapum fluere ex lacubus quibusdam à Meridie; *Ptolemæus* verò Astaboram ex lacu ad Meridiem Coloe derivat. Sed facilè fieri potuit ut nomina permutarentur. Lacus Coloe sub Aequatore est, in provincia Amara, nostris quoque Geographis notus. Fluvium quem indè derivant, & in Nilum deducunt, *Cabellam* nominant.

Ex hisce palàm est errare *Plinium*, quando lib. 5. c. 9. Astapum & Astaboram cum Nilo confundit, uniúsq; Nili fluminis tantùm distincta hæc nomina esse contendit. Nisi quis fortè dicat duo Nili brachia quibus insula Meroe includitur, *Astapum* & *Astaboram* dici: quod *Plinio*, *Solino*, & *Melæ* videtur arrisisse; nec à Nili majestate alienum est.

§. 5. Magìs ad Meridiē, in provincia Fungi, ingens lacus est *Zaflan*, è quò flumen quoq; magnum oritur, quod aliis intra se receptis Aequatorem transcurrit, & in provincia Tigrai in Nilum quoq; influit. Probabilior enim eorum mihi videtur sententia qui è solo lacu Zembre Nilum putant effluere, noménq; mereri, priusquam fluvium è lacu Zaflan eductum hauserit. In provincia Galama vel Agag lacus quoq; repræsentatur qui fluvium in Nilum emittit.

§. 6. Ab Occasu quoq; ingentem fluvium Nubiam Nilus excipit sub Cancri Tropico, in cujus exitu Syene. Unde quantopere *Cardanus* aberrârit à vero, dum nullum flumen in Nilum influere affirmavit, demonstratum arbitramur.

CAPUT VII.

Incrementum Nili.

Incrementi Nilotici tempus, §. 2. *Error* Scaligeri *circa interpretationem* Herodoti, 3. 4. *Tempus incrementi à Poetis describitur*, 5. *Quatuor anni tempestatum constitutio ex Nili incremento & decremento*, 6. *Necessitas incrementi Nilotici*, 7, 8. *Lapsus* Senecæ: *Nilus* Jupiter Aegyptius, terrestris pluvia, ἀντίμιμος οὐρανοῦ, 9. *Modus fœcundationis*, 10. *Nilus fœcundat inundando & oblimando*, 11. *Nili exundatio occasionem præbuit Geometriæ inveniendæ*, 12. *CHRISTUS cum Nilo collatus*, 13. *Facies Ægypti pulcherrima ex inundatione Nili*, 14. *Nimium & minimum Nili incrementum noxium. Variæ incrementi mensuræ*, 15. *Nostris temporibus Ægyptus desiderat majus Nili incrementum quàm olim*, 16. *Versùs Meridiem enim majora sint Nili incrementa*. 17. *Aquæ mensura singulis annis in templum* Serapidis *delata. Incrementa Nili venerantur Aegyptii. Opinio Indorum de Gange*, 18. *Ratiò mensurandi incrementa*, 19. Νειλομέτριον, Νειλοσκόπιον, 20. *Niloscopium historiæ scribendæ occasionem præbuit*, 21, *Modi augendi incrementum Niloticum illiciti*, 22, 23. *Liciti*, 24, 25, 26. *Modus minuendi incrementum*, 27. *Aegyptii imbrium potestatem in manu sua habent*, 28. *Aegyptus famem sensit ex defectu incrementi*, 29, 30. *Parvitas incrementi non sterilitatis tantùm sed & impendentium index*, 31. *Incommoda justi incrementi*, 32. *Animantia quædam præsagiunt futuram Nili exundationem*, 33.

§. 1. HActenus tertium institutæ nostræ commentationis caput: Sequitur quartum, De Nili incremento seu exundatione annua: quo nomine maximè mirabilis hic fluvius est. *Incrementum Nili*, inquit *Diodorus Siculus*, *adspicientibus videtur admirabile, incredibile audientibus.* Hoc igitur

capite

capite de exundationis Niloticæ tempore, necessitate & usu, effectu, qui agrorum fœcundatio, mensurâ, ejúsque minuendæ vel augendæ ratione, & aliis ad rem præsentem facientibus dispiciemus, inquisitioni in causam efficientem sequens caput destinaturi.

§. 2. *Nilus*, inquit *Plinius*, *certis diebus auctu magno per totam spatiatus Aegyptum, fœcundus innatat terræ*: Tempus exundationis ex *Herodoto* itâ describit: *Incipit crescere Lunâ novâ, quæcunque post solstitium est, sensim modicéque, Cancrum Sole transeunte, abundantissimè autem Leonem: & residit in Virgine, iisdem quibus accrevit modis. In totum autem revocatur intra ripas in Libra, ut tradit Herodotus, centesimo die:* lib. 5. c. 9. Similia habet lib. 18. c. 18. *Ammianus Marcellinus*, lib. 22. *Cùm Sol per Cancri sidus cœperit vehi augescens, ad usque transitum ejus in Libram, diebúsq; centum sublatiùs fluens minuitur posteà, & mitigatis ponderibus aquarum, navibus antea pervius equitabiles campos ostendit.* Videatur & *Solinus* cap. 35. *Strabo* tamen lib. 17. tempus hoc nonnihil contrahit: *Aqua*, inquit, *æstate ultra quadragesimum diem permanet: posteà paulatim decrescit, quo pacto etiam crevit. Intra diem sexagesimum campi denudantur atq; exsiccantur: & quò citiùs id fit, eò citiùs & aratur & seritur.* Probabiliora hæc nobis videntur. Etsi recentiora itinera spatium hoc nonnihil extendunt, & incrementi initia referunt ad xvii. Junii, plenariam agrorum deinundationem ad vi. Octobris: quod *Plinianam* sententiam firmat.

§. 3. *Scaliger*, Exerc. 47. *Herodotum* itâ videtur interpretari ut ex ipsius sententia Nilus centum dies crescat, totidémque absumatur decrescendo, & hoc pacto septem penè menses terram illam occupet. *Scaligero* suffragatur *Cardanus* Subtil. lib. 2. Sed alia mens *Herodoti*, quam *Plinius* rectiùs est assecutus. Verba *Herodoti* litem possunt dirimere. Κατέρχεται ὁ Νεῖλος πληθύων ἀπὸ τροπέων τῶν θερινέων ἀρξάμενος, ἐπὶ ἑκατὸν ἡμέρας· πελάσας δ' ἐς τὸν ἀριθμὸν τουτέων τῶν ἡμερέων ὀπίσω ἀπέρχεται ἀπολείπων τὸ ῥέεθρον· ὥστε βραχὺς τὸν χειμῶνα ἅπαντα διατελέει ἐών, μέχρις οὗ αὖτις τροπέων τῶν θερινέων. Patet igitur ex *Herodoti* sententia, intra diem ab incremento centesimum revocari Nilum intra alveum, agrósque Aegyptiorum nudari, ut *Plinius Herodotum* intelligit, & ratio quoque dictat. Nam si Aegyptiorum agros per ducentos dies continuos aquis obrutos credidisset *Herodotus*, Aegypti fertilitatem magnopere non potuisset prædicare: nec enim vel serendi vel crescendi idonea fuissent tempora. Nisi quis fortè dicat, eam fuisse loci naturam ut intra trium mensium spatium & sementem & messem facere coloni potuerint, quod inauditum, nisi fortè in Hispaniola, ut suo loco memorabimus. Sementem faciunt Aegyptii ineunte Novembri, messem Maio. *In Aegypto*, inquit, *Plinius* lib. 18. c. 7. *hordeum sexto à satu mense, frumenta septimo metuntur.*

§. 4. Si exceperit *Scaliger*, tot decremento dies ab *Herodoto* assignari quot incremento tributi fuerant, ex verbis *Herodoti* id evinci posse negabimus, & negabunt qui ea inspexerint. Interim *Strabonis* sententiam præferimus, quam nostrorum quoq; temporum experimenta confirmant: nisi quis fortè dicat *Herodoti* ætate aquas diutiùs in Aegyptiorum agris fuisse moratas quàm *Strabonis* tempestate, fortè quod altior tum agris aqua insederit, quia humiliores erant agri qui continuâ limi inductione magis magísque elevantur. Videatur capitis hujus §. 16.

§. 5. Sed & Poetas de tempore incrementi Nilotici canentes audiamus: *Tibullus*, lib. 1. Eleg. 7.

Qualis & arentes cùm findit Sirius agros
Fertilis æstiva Nilus abundat aqua.

Lucanus, lib. 10.

——consurgere in ipsis
Jus tibi Solstitiis, aliena crescere bruma
Atq; hyemes adferre tuas.

Idem, ——*Nilus neq; suscitat undas*
Ante Canis radios, nec ripis alligat amnem
Ante parem nocti Libra sub judice Phœbum.
Indè etiam leges aliarum nescit aquarum:
Nec tumet Hybernus, cùm longè Sole remoto
Officiis caret unda suis: dare jussus iniquo
Temperiem cœlo, mediis æstatibus exit.
Sub torrente plaga, nè terras dissipet ignis.
Nilus adest mundo, contráq; accensa Leonis
Ora tumet. Cancróq; suam torrente Syenen,
Imploratus adest; nec campos liberat undis,
Donec in autumnum Phœbus declinet, & umbras
Extendat Meroe.

Claudianus;

Cúmque die Titana Canis flagrantior armat,
Et rapit humores madidos, vendísque calore
Compescit, radiisque potentibus æstuat axis,
Nilo bruma venit, contraria tempora mundo,
Defectis solitum referens cultoribus æquor,
Effluit Aegæo stagnantior, acrior alto
Jonio, seséque patentibus explicat arvis.

§. 6. Ob stata hæc incrementi & decrementi tempora Aegyptii annuas temporis vicissitudines à Nilo constitui dixere; Aestivam quidem incremento, Autumnalem verò decremento, Vernam autem floribus qui ex ipso nascuntur, & Crocodilorum

partu: & nihil aliud omnino esse Nilum quàm annum, confirmante id appellatione Νεῖλος γεν, verba sunt *Heliodori*, lib. 9. κτ τοὔνομα στοιχεῖα εἰς ψήφους μεταλαμβανομένων, πέντε καὶ ἑξήκοντα καὶ τριακόσιαι μονάδες, ὅσαι καὶ τοῦ ἔτους ἡμέραι συναχθήσονται, hoc est, *Literis quæ nomine νεῖλος continentur in calculos distributis, tercentum quinq; & sexaginta unitates, quot & dies sunt anni, congregabuntur.* Ut,

ν 50
ε 5
ι 10 } est {
λ 30
ο 70
ς 200

Quod *Eustathius* quoque in *Dionysium* Periegeten annotat. Eundem numerum reperies in voce μοῖνος, quâ *Ptolemæus* indigitat Germaniæ flumen Mœnum.

Unicum adhuc libet attexere, quod ad hanc de tempore Nilotici incrementi materiam pertinet: Cùm Sole Leonem transeunte abundantissimè crescat Nilus, ut §. 2. ex *Herodoto* ostendimus, ab Aegyptiis incrementi Nilotici Hieroglyphicum Leo fuit sculptus, tanquam promuscondus exinundationis Niloticæ. *Propter eam verò,* inquit *Pierius Valerianus*, lib. 1. *aquarum redundantiam quam Leonis beneficio consequi se quotannis Aegyptii experiuntur, institutum est, & apud gentes omnes uno jam consensu receptum, ut canales, tubique & siphones qui aquam eructant, per terebrata foramina in Leonina capita ad id locis opportunis adsculpi solita aquam immittant, quæ inde ex Leoninis rictibus evomi videatur.* Mos hic in Italia frequens, nec in nostra infrequens Germania, à veteribus architectis ex Aegypto in alias regiones delatus, tandémq; à nostris quoq; observatus. Fortè paucis origo cognita: Olim Aegyptii ex leone & virgine sphingas conficiebant, ea de causa quòd Quintili & Sextili mensibus, quorum tutela Leo & Virgo sint, exuberet Nilus; *Laurentius Pignorius*, Charact. Aegypt. cap. 3.

§. 7. Hactenus incrementi tempus. Non verò absque singulari providentia Dei factum est ut quotannis statis temporibus in Aegypto exundaret Nilus, Solum enim Aegypti in se sterile & nitrosum est, nullísque aut rarissimis pluviis cœlitùs illapsis irrigatur. *Nunquam visum est pluere in Aegypto,* inquit *Plato.*

Aegyptus pluviam nescit: sed lata quotannis,
Cùm premit æquorei Sol humida brachia Cancri,
Arva rigat Nilus,

Baptista Mantuanus, lib. 2. par. 1. Unde inter omina servitutis Aegypto imminentis numeratur pluvia à *Dione Cassio*, lib. 51. ὗσέ τε γὰρ οὐχ ὅπως ὕδωρ ἔνθα μηδ' ἐψέκασέ ποτε, ἀλλὰ καὶ αἷμα. Etsi Alexandria Aegypti vicina mari sat crebras habet pluvias, ut nostrorum temporum peregrinationes testantur; contradicentibus *Curtio* & *Ammiano*. Accedit intensissimus Solis fervor, qui perpetuò ferè imminet Aegypto; terrámq; adurit; esséq; perpetuâ sterilitate infame Aegypti solum, nisi à Nilo fœcundaretur exundante. Fervoribus enim excoctum aquis destitutum in lapidis soliditatem durescit. Unde apud *Achillem Tatium* lib. 2. sublatas Aegypti glebas à latronibus projectas in jaculatores, recitat quidam, & addit, Παντὸς λίθου χαλεπώτερος βῶλος Αἰγύπτιος, βαρύς τε καὶ τραχὺς καὶ ἀνώμαλος. Eandem ob causam tellus Aegyptia plerisque in locis ità hiat ut paucis in locis iter ἀνεμπόδιστον equitibus sit.

§. 8. Pulchrè hanc in rem disserit quoq; *Aristides* in oratione Aegyptiaca: Verba ejus, ex interpretatione *Canteri*, hæc sunt; *Quòd hæc sola regio, veluti animal quoddam, utramq; naturam per fluvium participat, & nunc terrestris est & sicca, nunc in aqua degit, id, cui tribuemus causæ nisi magnæ Dei sapientiæ & providentiæ; qui quem in locum nullam erat pluviam dimissurus, in eum,* Nilum *quasi vicarium suum induxerit, qui pluviæ vicem hujus regionis incolis præstaret: atque eo tempore donum hoc in homines conferat, quo tum ipsis opportunum sit maximè, tum regioni non minorem quàm pro necessitate, verùm insigniter copiosum proventum conciliet?*

Insueta, inquit *Egesippus* libr. 4. cap. 27. *imbribus regio, nec tamen pluviarum indiga, cui Nili irrigua spontaneos imbres ministrant. Aegypti siccitatem,* inquit *Minutius, temperat Nilus.*

Elegantia eandem in rem sunt *Senecæ* verba lib. 4. Quæst. nat. cap. 2.

Hunc nobilissimum amnem Natura *extulit ante humani generis oculos, & ità disposuit ut eo tempore inundaret Ægyptum quo maximè usta fervoribus terra undam altiùs traheret, tantùm haustura quantùm siccitati annuæ sufficere possit. Nam in ea parte quæ in Æthiopiam vergit, aut nulli imbres, aut rari, & qui insuetam aquis cœlestibus terram non adjuvent. Unam Ægyptus in hoc spem suam habet. Proinde aut sterilis annus aut fertilis est, prout ille magnus influxerit aut parcior. Nemo aratorum adspicit cœlum. Quare non cum Poeta meo jocor, & illi Ovidium suum impingo, qui ait,*
- - Nec pluvio supplicat herba Jovi.

§. 9. Lapsus hîc memoriâ *Seneca*: Sunt enim allegata verba non *Ovidii*, sed *Tibulli*, cujus integrum distichon lib. 1. Eleg. 7. hoc est,

Te propter nullos tellus tua postulat imbres;
Arida nec pluvio supplicat herba Jovi.

Hanc ob causam Nilus dictus Ζεὺς Αἰγύπτιος, *Jupiter Aegyptius*, ut suprà docuimus, cap. 1. §. 14.

Tibulli sententiam & alii Poetæ expresserunt. *Lucanus*, lib. 8.

Terra suis contenta bonis, non indiga mercis,
Aut Jovis: in solo tanta est fiducia Nilo.

Claudianus,

Felix qui Pharias proscindit vomere terras:
Nubila non sperat tenebris condentia cælum,
Nec graviter flantes pluviali frigore Coros
Invocat, aut arcum variata luce rubentem.
Aegyptus sine nube ferax, imbrésq; serenos
Sola tenet, secura poli, non indiga venti,
Gaudet aquis quas ipse vehit, Nilóq; redundat.

Hinc *Heliodorus* & *Philo* Nilum aiunt esse ἀντίμιμον οὐρανοῦ. Et eleganter *Philo* lib. 1. De vita *Mosis*, Nilum appellat *terrestrem infernè adscendentem pluviam*: Verba ipsius sunt, Γῆ πολλάκις ὑετὸν ἤνεγκεν. ὁ γὰρ ἐν Αἰγύπτῳ ποταμὸς καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ταῖς ἐπιβάσεσι πλημμυρῶν, ὅταν ἀρδεύῃ τὰς ἀρούρας, τί ἕτερον ἢ ὑετὸς ἐστι κάτωθεν ἀνιών; Similia habet in lib. De profugis, Νεῖλος μονονοὺκ ἀντίμιμον οὐρανοῦ δύναμιν ἐπιδείκνυσθαι δοκῶν· ὁ γὰρ χειμῶνος ἐν ἄλλαις χώραις οὐρανὸς, τοῦτ' Αἰγύπτῳ θέρους ἀκμάζοντος ὁ Νεῖλός ἐστιν. ὁ μὲν γὰρ ἄνωθεν ἐπὶ γῆν τὸν ὑετὸν ἀποστέλλει, ὁ δὲ κάτωθεν ἄνω, τὸ παραδοξότατον, ὕων ἄρδει τὰς ἀρούρας.

Hanc ergò causam esse crediderim cur *Apuleianus Trismegistus* Ægyptum cœli imaginem agnoverit, iisq; omnibus æquiparârit quæ in cœlo gubernâtur & exercentur; *Pierius Valerianus*, lib. 34. Ægypto, respectu Nili potissimùm, hæc dignitas competit: Nilus enim ἀντίμιμος οὐρανοῦ. Hactenus necessitas incrementi Nilotici demonstrata.

§. 10. Certum igitur est Ægyptum fœcundari exundante Nilo. In modum fœcundationis jam porrò inquiramus. Fœcundat autem exundatione suâ Nilus Ægyptum, aridum ejus exustúmq; solum benignè humectando, & sterili in se ac nitroso pinguem terram inducendo: adeóq; unus præstat quod in nostris terris hominum industria cœlíq; benignitas vix assequuntur. Fimum enim in agros colonus invehit, & pluvias è cœlo exspectat, quod si votis ejus responderit, annonæ copiam sibi promittit: Ægyptios hæ non fatigant curæ: Nilus enim opportunè & humectat & stercorat agros, aquam terrámq; pinguem seu limum inducendo. Unde *coloni vice fungi* dicitur à *Plinio*. Quo sensu quoq; ab *Heliodoro* dicitur arva Ægyptia γεωργεῖν. Eodémq; nomine ἐργατικὸν ποταμὸν ab *Herodoto* vocari in *Dionysium* adnotat *Eustathius*.

§. 11. Nè quid sine certis testibus videamur asserere, audiamus fide dignos. *Ciceronis* 2. De nat. Deor. hæc sunt verba, *Ægyptum Nilus irrigat, & cùm totâ æstate obrutam oppletámq; tenuit, cùm recedit, mollitos atq; oblimatos relinquit agros.* Explicatiùs *Seneca*, *Nilus arenoso & sitienti solo & aquam inducit & terram. Nam cùm turbulentus fluat, omnem in siccis atq; hiantibus locis fæcem relinquit; & quicquid pingue secum tulit, arentibus locis illinit; juvátq; agros duabus ex causis, & quod inundat, & quod oblimat. Ità quicquid non adiit, sterile ac squalidum jacet. Si crevit super debitum, nocuit. Mira itaq; natura fluminis, quòd cùm cæteri omnes abluant terras, & eviscerent, Nilus tantò cæteris major adeò nihil exedit nec abradit ut contrà adjiciat vires, minimùmque in eo sit quòd solum temperet: Illato enim limo arenas saturat & jungit: Debétq; illi Aegyptus non tantùm fertilitatem terrarum, sed ipsas.*

Dionysius Periegetes,

Ὕδασι πιαίνει λιπαρὸν πέδον Αἰγύπτοιο.
Οὐ γάρ τις ποταμῶν ἐναλίγκιος ἔπλετο Νείλῳ,
Οὔτ' ἰλὺν βαλέειν, οὔτε χθονὸς ὄλβον ὀφέξειν.

Heliodorus, Καὶ ἐξανίσταται τῆς ὄχθης, καὶ θαλασσώσας τὴν Αἴγυπτον τῇ παρόδῳ γεωργεῖ τὰς ἀρούρας.

Similis propemodum Nilo *Euphrates* est, qui, ut *Cicero* loquitur, lib. 2. De nat. Deor. in Mesopotamiam quotannis quasi novos agros invehit. *Indus* non aquas tantùm & terras, sed & semina secum ducit: Unde illud *Minucii Felicis*, *Indus & serere Orientem dicitur & rigare*; unicum ut flumen, cœli, terræ & agricolæ vicem præstet. Indiæ Occidentalis Peruanum flumen *Plata*, regionis à flumine denominatæ, instar Nili, quoq; arva irrigat fœcundâ inundatione. Eadem *Nigri* in Africa & *Zaire* in Regno Congiano indoles est. Nostrorum quoq; fluminum & inprimis *Danubii* annua est exundatio, sed noxia magìs quàm utilis. Eodem tempore & Nilum & Danubium exundare nonnullorum opinio est: quam refutat *Seneca*, libr. 4. Quæst. nat. cap. 1.

§. 12. Ex hac verò agrorum Ægyptiacorum oblimatione factum ut singulis annis agrorum limites confunderentur, & incertæ quasi possessiones redderentur. Unde singulis quoq; annis in constituendis limitibus & mensurandis agris occupatos legimus Ægyptios, qui hâc ipsâ occasione inventæ Geometriæ laudem sibi dicuntur vindicare. *Opus fuit*, inquit *Strabo* lib. 17. *tam diligenti & subtili agrorum divisione propter continuas finium confusiones quas Nilus auctus efficiebat, aliis addens, aliis adimens, & immutans figuras, & signa obruens, quibus proprium discernebatur ab alieno: Itaque identidem dimetiri oportebat. Atq; hinc ab Aegy-*

ptiis *Geometriam credunt inventam fuisse.* Videatur & *Polydorus Virgilius*, lib. I. cap. 18. *Diodorus Siculus*, lib. 1. *Herodotus*, lib. 2. *Julius Frontinus*, De controversiis limitum. *Augustinus Cassiodorus*, Variar. lib. 3. epist. 52. docet Geometriam quidem primùm à Chaldæis inventam esse, ab Ægyptiis verò propter augmenta Nilotica, quæ singulis annis votivâ inundatione patiuntur, ad dimensionem terræ & recuperandas formas finium translatam; ut fieret arte distinctum quod litigiosæ confusioni videbatur obnoxium. Frequentem quoque rei hujus mentionem faciunt *Novellæ Imperatorum*, sub titulo, De alluvionibus & paludibus, quas hanc in rem citat *Pineda* libr. 3. De rebus Solom. cap. 19. Vide & Cœlium Rhodiginum, lib. 18. cap. 34. cujus pulchra sunt verba, *Geometriam ad Aegyptios rejiciunt, ob agrorum mensus identidem necessarios, nunquam non colliminiis pereuntibus, Nili exsuperantiâ oblimatis metis.* Ut autem ad Geometriæ studium impulit Ægyptios necessitas, ad distinguendos confusos agrorum limites, sic ad Astronomiæ excolendæ studium eosdem prolectavit loci opportunitas, patentibus in Ægypto latè campis, & noctibus serenitate perpetuâ siderali contemplationi nitescentibus: Quos autores quoque artis hujus laudat *Dionysius* Periegetes,

Πρῶτοι δ' ἐγραμμῆσι πόλον διεμετρήσαντο
Θυμῷ φρασσάμενοι λοξὸν δρόμον ἠελίοιο.

Primum artium harum in Ægypto professorem *Josephus* nominat *Abrahamum*.

§. 13. Dignæ observatu sunt cogitationes nonnullorum, qui sumta occasione ab hac Nili fœcundatione, agrorúmq; Ægyptiorum annuâ per novi limi inductionem renovatione, CHRISTUM cum Nilo conferunt: CHRISTUS, inquiunt, *non nova modò argilla est, sed vetus etiam veteris Adami lutum renovat, & ejus antiquum & aridum squalorem novâ pinguedine, effœtam sterilitatem novâ feracitate commutat, Goropius* lib. 4. Hieroglyph.

§. 14. Sed incrementi Niliaci mensuram videamus, ex qua annonæ copiam infallibili conjecturâ Ægyptus sibi prædicit. *Quantum crevit Nilus*, inquit *Seneca*, *tantum spei in annum est. Nec computatio fallit agricolam; adeò ad mensuram fluminis respondet, quam fertilem facit Nilus.* Colonus igitur Ægyptius tum demum sibi gratulatur cùm agri sui nihil videt, sed ubique diffusum Nilum. *Illa facies*, ait *Seneca*, *pulcherrima est, cùm jam se in agros Nilus ingessit. Latent campi, opertæque sunt valles, oppida insularum modo exstant: Nullum in mediterraneis, nisi per navigia commercium est. Majórque est lætitia gentibus quò minùs terrarum suarum vident.*

Progrediens, inquit *Ammianus*, *in sublime tegit omnia, & humo suppressâ per supina camporum speciem exhibet maris.*

Idem pulchrè expressit *Claudianus*,

Defectis solitum referens cultoribus æquor,
Effluit Aegeo stagnantior, acrior alto
Jonio, seseque patentibus explicat arvis.
Fluctuat omnis ager: remis sonuere novales.
Sæpiùs æstivo jaceat cùm forte sopore,
Cernit cum stabulis armenta natantia pastor.

Πόλεις, ait *Strabo*, lib. 17. ἀξιολόγοι καὶ κῶμαι νησίζουσαι, κατὰ τὴν πόῤῥωθεν ὄψιν, hoc est, *Urbes insularum speciem præbent eminùs conspectæ.* Ob hanc causam domicilia Ægyptiorum aut nativis collibus aut aggeribus factitiis sunt imposita vel munita. Hinc *Sesostris* in Ægypto permultos excitavit aggeres, ut homines & pecora à Nili inundatione tuta essent; *Gregorius Tholosanus*, De Republ. lib. 2. cap. 9. num. 22. ex *Diodoro Siculo*, lib. 1. Et *Sabacus* Æthiopum Rex Ægypto potitus, ut adversùs Nili annua diluvia Ægypti urbes muniret, neminem facinorosorum morte plecti voluit, sed pro delicti magnitudine ad aggerem urbis quam incolerent effodiendum compulit; idem *Tholosanus*. Ad Nili quoque ripas excelsos aggeres construxerunt, ut nimiam fluminis exundationem prohiberent; (*Hieronymus*, ad cap. 30. Ezech.) Quos primus excitâsse dicitur *Hercules*, & post hunc *Osiris*; *Julius Barbaranus* in Offic. pag. 359. Aggeribus hisce ipsísque Nili ripis ad fundum usque defossis, *Sultanus Turcicus*, anno 1218, Christianorum Damiatam tunc temporis occupantium castra ad deditionem coegit, superantibus ipsorum castra, quamvis sublimi loco collocata, Nili aquis ad cubiti altitudinem; *Blondus*, Decad. 2. libr. 7. *Platina*, in vita Honorii III. Simile stratagema recitat *Achilles Tatius*, lib. 4. pag. mihi 103.

§. 15. Ad incrementi ergò mensuram nos convertamus, quæ varia est pro temporum diversitate, & modum si excesserit, non minus est noxia quàm si defecerit. *Justum*, inquit *Plinius*: *incrementum est cubitorum XVI. Minores aquæ non omnia rigant; ampliores detinent, tardiùs recedendo: Hæ serendi tempora absumunt, solo madente; illæ non dant, sitiente;* libr. 5. cap. 9.

Pulchrè idem eloquitur *Ammianus Marcellinus*, lib. 22. *Abundè luxurians ità est noxius, ut infructuosus si veniret parcior. Gurgitem enim nimietate humectans diutiùs terras, culturas moratur agrorum: parvitate autem minatur steriles segetes. Eúmque nemo aliquando extolli cubitis altius XVI. possessor optavit: &, si inciderint moderatiùs, aliquoties jactæ sementes, in loco pinguis*

cespitis

cespitis, cum augmento ferè septuagesimo renascuntur.

Sed accuratiùs mensurarum divisarum commoda vel incommoda recenset *Plinius*, capite sæpiùs allegato; *Ægyptus in* xii *cubitis famem sentit; in* xiii *etiamnum esurit.* xiv *cubita hilaritatem afferunt,* xv *securitatem*, xvi *delicias*. Ex quo fonte *Solinus* cap. 35. *Tradunt maximos ejus exitus cubitos duo de viginti consurgere; justissimos* xvi *temperari: nec in* xv *abesse proventus fructuarios: sed quicquid intra sit famem facere.*

§. 16. *Strabo* tamen paulò aliter de mensuris Nili frugiferis & sterilibus scribit, lib. 17. *Ante Petronii* (qui successit *Aelio Gallo*, fuitq; secundus præfectus Augustalis; *Casaubanus* in Notis ad *Strabon.*) *tempora maxima dicitur fertilitas fuisse cùm Nilus ad quartum ac decimum cubitum excrescebat; cùm verò ad octavum modò assurgeret, fames & penuria eveniebat: Illo verò regioni præfecto, cùm duodecimum tantùm cubitum Nilus implesset, maxima fuit frugum ubertas; & cùm octavum solùm aliquando attigisset, famem nemo sensit.* Nostris verò temporibus majus Nili incrementum Aegyptus desiderat quàm olim. Quò enim olim octo spithamarum altitudo pertingebat, hodie vix sedecim pertingunt, quia continua limi inductio altiores facit Aegypti agros; *Boterus* lib. 3. in Descript. Aegypti. Unde *Scaliger*, Exerc. 47. censet olim Aegyptum à Nilo ampliùs non inundatum iri, quia perpetuâ alluvione tandem fluminis altitudini riparum margines æquabuntur. Aliis enim subinde seculis exundationem minorem factam esse observatum est.

§. 17. Et hoc observandum judico, Tantò majora Nili esse incrementa quoad cubitorum numerum, quantò longiùs ab Aegypto abest quæ *Delta* appellatur. Nam ad Syenam & Elephantinam xxviii cubitos implet, ad Coptum xxi, ad Memphim xiv; *Aristides*. Nec obscura ratio est. Extra Delta enim supra Copton & Elephantinam montium angustiis strangulatur, tantóque magis attollitur quantò per alvei angustiam minùs dilatari potest.

§. 18. Cæterùm adscendentis Nili mensuram singulis annis in templum Serapidis (quod Aegyptiorum erat idolum, cujus genealogiam & ortum inquirit *Boccatius*, lib. 2. cap. 6.) tanquam ad incrementi aquarum & inundationis autorem Aegyptii detulerunt. Subverso verò hujus idoli simulacro sub Imperatore *Theodosio*, ulna (ut loquitur *Cassiodorus*, lib. 2. ad *Euseb.* historiam) id est, aquæ mensura, ad aquarum Dominum cœpta in Ecclesiam deferri.

Aegyptii verò ipsas quoq; incrementi mensuras venerabantur: & nefas Regibus & Præfectis judicabant ad Nilum navigare, cùm cresceret; *Plinius*. Apud *Apuleium* quoq; lib. 2. misericordiam sacerdos implorat *per incrementa Nilotica*, tanquam rem sacram.

Olim (quod obiter moneo) Magi tantâ veneratione prosequebantur mare, ut navigare nefas putaverint, quia pelagus humanis necessitatibus violare summi esse sceleris arbitrabantur; *Jacobus Durantius Casselinus*, Variar. lect. lib. 1. cap. 3. Forsan illa Niloticorum incrementorum veneratio à Magis quoq; Aegyptiacis originem traxit.

Sed vide, quæso, quàm varia sit superstitio. Ut Aegyptiis Nilus, ità Indis Ganges venerabilis est, sed modo superstitionis planè diverso. Verentur enim incrementa Nilotica frequentare & attingere Aegyptii: Indorum opinio est expiatorium esse Gangem, qui aquis ejus se abluentes ab omnibus mundet peccatis: Unde ea in vulgi animo insidet persuasio, nullo modo salvum posse fieri qui hoc se flumine non abluat. Quam ob causam ex tota India & universo Oriente maximus gentium ad Gangem confluxus est. Originem videtur trahere superstitio ex alia falsa hypothesi, quæ est apud Indos, & nostri quoq; seculi doctos quosdam viros, Gangem è Paradiso egredi: in quam opinionem quâ occasione devenerint Indi, videatur apud *Gotardum Arth.* in Hist. Indiæ Orient. cap. 33. Forsitan superstitioni & inde accessit robur quòd reliquis mortalibus longæviores essent accolæ Gangis. Ex iis vir quidam, anno 1536. Lusitanis oblatus est, quem ante annos 335 natum esse certis constabat indiciis.

§. 19. In hac porrò de mensuris incrementorum Niloticorum commentatione explicanda ratio cùm observandi & deprehendendi, tum pro arbitrio eas augendi vel minuendi.

Veteres Aegyptii mensuras incrementorum Niloticorum observabant in puteo, quem Νειλομέτριον Græci appellant. Descriptio ejus, usúsque quem præstitit, accurata apud *Strabonem* lib. 4. hæc est, *Nilometrium est puteus quidam in Nili ripa ex integro lapide constructus, in quo & maxima & minima & mediocria Nili incrementa annotantur. Nam putei aqua cum Nilo pariter crescit & decrescit: súntq; in putei pariete notæ quædam insculptæ incrementorum & perfectiorum & aliorum. Hæc itaque observantes aliis quoque significant, ut incrementa cognoscant. Nam ex signis, certis diebus, multò ante futura Nili incrementa cognoscunt, idque omnibus prædicunt. Quæ res agricolis ad aquarum dispensationem & aggerum ac fossarum curationem conducit, præfectis verò, ad redituum rationes: majora enim incrementa majores proventus denunciant.*

Hæc *Strabo*. Similia habet *Heliodorus* libro 9.

Itaque ad Nilometrii inventionem non curiositas, sed necessitas Ægyptios impulit. *Cùm enim plurimâ curâ molestiâque*, inquit *Diodorus Siculus*, lib. 1. cap. 3. *urgeret accolas Nili inundatio, excogitata est in Memphi quædam incrementi mensurandi à Regibus observatio. Nam quibus id negotii demandatum est; per epistolas urbibus vicisque significant quot cubitis quótve digitis fluvius auctus sit, & simul quo tempore cœperit crescere. Hoc modo vacuus redditur à solicitudine populus, incrementi magnitudine decrementíque notis, ubertatémque futuram è vestigio, ab inundationis modo, notatis prioribus temporibus, noscit.* Ob hoc Nilometrium Memphis apud *Lucanum*, lib. 8. appellatur *Custos Nili crescentis in arva*, ut notat *Johannes Baptista* in annotationibus prioribus.

§. 20. Νειλομέτρειον aliàs Νειλοσκόπιον appellatur, quod, testibus *Johanne Leone* & *Johanne Helffrico Lipsensi*, in Nili insula è regione Cairi sitâ visitur. Nomen ei hodie *Michias* vel *Gisa*: In qua adhuc fossa est XVIII cubitorum, quadrata, cujus in medio erecta columna marmorea in cubitos seu ulnas distincta, quæ Nili incrementa notant, messísque copiam vel inopiam; *Marinus Sanutus*, libr. 3. part. 14 cap. 12. Hâc tempestate incrementa Nili singulis diebus ab Æthiope, cui provincia hæc demandatur, Cairum obequitante, populo significari solent: qui magnatum, ob allata evangelia, muneribus ditatur.

§. 21. Hæc Niloscopii columna antiquissimo historiæ scribendæ occasionem primam præbuisse dicitur; *Franciscus Patritius*; Dialog. 3. de histor. qui à nominis magni viris audivisse se ait, historiam primùm in Ægypto scriptam fuisse non tam de rebus gestis hominum quàm de Nili inundationibus, quarum memoria in columna conservata ad scribendas res gestas virorum illustrium doctos impulit.

Obiter hîc observetur, ex accurata hac incrementorum Niloticorum mensuratione natum apud Græcos proverbium, Πήχεσι διαμετρεῖν ὥσπερ τὰς Νείλου ἀναβάσεις, *Ulnis metiri, ut Nili incrementa*.

§. 22. Hactenus ratio mensurandi incrementa Nilotica: Audiamus jam quibus modis olim augeri vel imminui consueverint.

Quinque in universum modos invenio quibus parciùs exundante Nilo, & carioris ac rarioris annonæ metum incutiente, incrementa auxerunt, hoc est, Niloticis aquis agros uberiùs rigârunt Ægyptii, naturæ defectum per industriam supplentes. Ex iis duo priores illiciti, tres reliqui liciti & laudabiles sunt. *Impius & Satanicus* fuit, quo, immani crudelitate incrementum & inundationem irritârunt, homine mactato: quâ quasi victimâ piaculari Jovem iratum conciliari & incrementum provocari crediderunt; exemplo à *Busiri* desumto, qui primus hunc modum induxit, immolato *Thrasylo*. Meminit crudelissimi hujus instituti *Ovidius*, De Arte amandi, libr. 1.

Dicitur Aegyptus caruisse juvantibus arva
Imbribus, atque annos sicca fuisse novem:
Cum Thrasylus Busirin adit, monstrátq; piari
Hospitis effuso sanguine posse Jovem.
Illi Busiris, Fies Jovis hostia primus,
Inquit, & Aegypto tu dabis hospes aquam.

Idem in *Ibin*,

Ut qui post annos sacri mactator iniqui
Elicuit pluvias victima casus aquas.

Crudelitatem hanc quoque perstringit *Juvenalis* Satyr. 15.

———*Quæ tanta fames, infestáque vallo*
Arma coegerunt tam detestabile monstrum
Audere? anne aliam terra Memphitide sicca
Invidiam facerent nolenti surgere Nilo?

§ 23. Alter modus idololatricus fuit, quo, si parciùs inundaret Nilus, rem ei sacram extra ordinem fecerunt, tanquam Jovi, ut incrementum ejus exorârent; *Histor. tripart.* lib. 9. cap. 42. Isidis sacra Ægyptii celebrantes Nili irrigationem fletibus solebant implorare; *Hieronymus Magius*, Miscell. lib. 1. cap. 10. Quò respexisse videtur *Statius*, verbis illis,

———*ævisoni lugentia flumina Nili*

Cultus hic tandem sublatus est per *Constantinum*; *Eusebius*, De vita *Const.* lib. 4. c. 25. *Sozomenus*, Hist. Eccles. lib. 7. cap. 29. Fluxítq; longè uberiùs Nilus post abrogatam idololatriam quàm durante eâ; *Ruffinus*, Append. lib. 2. ad *Eusebii* histor. Eccl. Etsi sub initia abrogati cultûs videbatur de solitis incrementis haud parùm remittere, adeò ut ob mutatam superstitionem & sterilitatis metum gravissimè indignarentur Ægyptii. Quibus tamen non masculè magis quàm piè respondit Imperator pius, *Satius esse erga Deum permanere fidelem quàm fluenta Nili & ex eis exspectatam anni fertilitatem præposuisse pietati: vel nunquam fluxerit iste fluvius, siquidem revera & excantationibus pellici & sacrificiis delectari, & sanguinis fluxu inquinare influentes ex divino Paradiso rivos potest*; *Sozomenus*. Cùm autem pristinum incrementum, & cum fœnore quidem, redire animadverteret Princeps religiosus, ingenti exsultatione fertur dixisse, *Gratias tibi, CHRISTE, quòd absque urbis illius magnæ pernicie tam vetustus error exstinctus est.* Scribit tamen *Johannes Leo Afer* etiamnum in Ægypto

septem

ſeptem feſtos dies manere celebres ob Nili peractam feliciter alluvionem.

§. 24. Inter licitos & laudabiles modos primus erat aggerum Nili intercisio, quâ ex Nilo aqua in agros remotiores derivabatur per alveos in hunc uſum factos. Iſta aggerum foramina *διακόπους* & *κόμματα* appellârunt Græci; *Beroaldus*, in Comment. in *Apuleium*. Græcas voces retinuit *Ulpianus*, Digeſt. de extraord. criminib. Meminit hujusmodi *Strabo*, lib. 17. *Sæpiùs*, inquit, *diligentia hoc aſſecuta eſt, naturâ deſtituente, ut tantum terræ minoribus Nili incrementis irrigaretur quantùm majoribus; idq; foſſarum & aggerũ auxilio, διὰ τῶν διορυχῶν καὶ παραχωμάτων*

Primus fuit *Seſoſtris* qui modum hunc excogitavit; *Diodorus Siculus*.

Inter foſſas haſce nonnullæ ſatis amplæ & patentes fuerunt temporibus Imperatorum Romanorum, qui publico ære à ſingulis Ægypti regionibus alveos in Nilum perfodiendos curârunt, quibus frumenti vis ingens Alexandriam, & inde Romam, conveheretur. Alveorum horum aggeres incredibili ſumtu conſervandos curârunt iidem Imperatores; *Hieronymus Magius*, Miſcell. lib. 3. cap. 10. quos qui rumpebant, ex Imperatoria lege flammis abſumebantur. *Marinus Sanutus* barbarè foſſas illas appellat *Rubinas* & *Talgiatas*.

Occaſione forſan hinc ſumtâ Romani foſſas, canales & aquæductus, quibus aliunde aqua deducebatur, *Nilos* appellârunt; *Cicero*, De legib. *Brodæus*, lib. 5. Miſcell. cap. 6. Quos majores aquæductus interpretatur *Gulielmus Philander* in Notis ad *Vitruvium*: Minores verò *Euripos* putat dictos.

§. 25. Alter modus erat per inſtrumentum quoddam ab *Archimede* Syracuſio adinventum, quod à figura *cochleam* dixere; quo aquam ex Nilo copioſam hauriebant, & in arentes agros immittebant; *Diodorus Siculus*, lib. 1. cap. 3.

Simile inventum eſt populorum ad Euphratem habitantium, qui cùm tota æſtate pluviam experiantur nullam mirabilem agros humectandi rationem excogitârunt: Rotam molendini in medio flumine conſtituunt, cui circumquaq; ex tigrium & aliorum animantium pellibus conſutos utres appendunt. Hi, dum rota movetur, hauſtam ex flumine aquam in ingens vas appoſitum effundunt: unde per canales hinc inde diſpoſitos, poſtmodum in agros vicinos, rotam bobus circumagentibus, aqua derivatur; *Gotardus Arthus*, Ind. Orient. cap. 2.

Machinatione non abſimili *Sultanus Campſon* ex Nilo in regiam ſuam perpetuo aquæductu per caſtella & lapideos tubulos immiſit; *Jovius*, lib. 18.

§. 26. Tertius erat per lacum *Mœridis*, ex quo, deficiente Nilo, ſingulari artificio aqua in agros Ægyptios derivari poterat: ut pluribus ſub finem hujus commentationis, in deſcriptione lacûs *Mœridis*, explicabimus.

§. 27. Sic ergò Nilotici incrementi defectum ſupplerunt Ægyptii: Exceſſum verò ejus ut minuerint nôſſe quoque operæ pretium eſt. Inſerviebat ipſis ad minuendum aquarum effuſarum incrementũ idem *Mœridis* lacus, in quem redundantem aquam ex agris corrivare quoque poterant, per canalem, quem pro arbitrio aperiebant vel claudebant flagitante neceſſitate, ut ſuo quoque loco uberiùs declarabimus. Foſſæ etiam quibus tota Ægyptus eſt conciſa, ad rem hanc faciunt. *Juſtinum* Hiſtoricum audiamus lib. 2. *Ægyptum autem, quæ tot regum, tot ſeculorum curâ impenſâque munita ſit, & adverſùs vim decurrentium aquarum tantis inſtructa molibus, tot foſſis conciſa, ut cùm his arceantur, illis recipiantur aquæ, nihilominus coli niſi excluſo Nilo non potuerit, non poſſe*, &c.

§. 28. Ad hanc Ægyptiorum in augendis & minuendis Nili exundationibus ſolertiam dubio procul reſpexit *Iſocrates*, in laudatione *Buſiridis*, ubi ait, Τῶν γὰρ ὄμβρων καὶ τῶν αὐχμῶν, ὧν τοῖς μὲν ἄλλοις Ζεὺς ταμίας ἐστὶν, ἐκείνων δ' ἕκαστος ἀμφοτέρων τούτων αὐτὸς αὑτῷ κύριος καθέστηκεν. Hoc eſt, ex interpretatione *Wolfii*, *Imbrium & ſiccitatum quorum aliis Jupiter promus-condus eſt, horum utrorumque poteſtatem quivis per ſe habet.* Imbrium Ægyptios poteſtatem habere ait, quia Niloticas aquas, quæ imbrium loco Ægypto ſunt, pro arbitrio in agros ſuos derivant; ſiccitatis verò, quia eaſdem aquas ex agris in Nilum vel *Mœridis* lacum deducere poterant.

Hegeſippus lib. 2. Hieroſolym. in eandem ſententiam ſcribit, *Ægyptum abundare opibus ſuis, nec indigere pluviæ cœleſtis, quæ ſibi ipſa imbres generat, & pluviarum ubertates creat; ſolámque non queri de ſiccitate, etiamſi omnibus regionibus ferventior ſit.*

§. 29. Non tamen crediderim ità Nilum in poteſtate Ægyptiorum ſemper fuiſſe ut per univerſam Ægyptum defectus incrementorum ſupplere ubivis potuerint; quando famem non ſemel Ægyptus ſenſit. Inſigne exemplum in Scripturis habetur, Gen. xli. 30. ubi ſeptennali fame Ægyptum afflictam fuiſſe *Joſephi temporibus* legimus. Quem in locum notat Jeſuita *Pererius*, *Dubio procul per annos ſeptem perexiguum Nili auctum fuiſſe, infra duodecim cubita, aut etiam quinque: unde ſummam famem accidere neceſſe fuit.* Eadem & *Pinedæ* conjectura eſt, in Job, cap. 38. verſ. 27. n. 5. Ipſum illud flumen è quo *Pharao* in ſomno vidit ſeptem vaccas pingues & ſeptem macras adſcendere, Nilus erat: Monebàtque

bátque hæc loci circumstantia, quâ ex flumine dicuntur adscendisse vaccæ saturitatis futuræ & famis nunciæ, ipsum Nili flumen Dei ministrum fore in septennali annonæ ubertate & paucitate efficiendâ. *Sterilis* enim, inquit *Seneca*, *aut fertilis est annus, prout ille magnus influxit aut parcior.* Eleganti idem hexametro expressit *Hieronymus Francastorius* lib. 2. De *Josepho:* ubi somium *Pharaonicum* interpretatur *Josephus*,

——Primùm septem felicibus annis
Largiùs undantem solito, majoréque Nilum
Flumine rumpentem ripas, secúmque trahentem
Felicem limum fœcundæque æquora arenæ,
Fortunata nimis tellus Ægyptia cernet:
His annis tantum messis, tantum uberis illa
Colliget, ut non sufficiant solita horrea messi.

Et paulò pòst,

——Septem annos, qui deinde sequentur,
Infelix steriles duròsque Ægyptus habebit:
Ipse intra ripas demisso flumine Nilus
Curret iners, suprâque caput limúmq; feracem
Non tollet: sicca arebunt arva omnia, sicca
Solstitia, & nulli descendent montibus amnes,
Consueti pluviarum amnes sub sidere Cancri
Æthiopum populis, nec hyems æstiva redibit.

Iterum,

Dum fiunt septem fœcundi messibus anni,
Jam finem ubertásque, omnis jam copia habebunt.
Jámque pererratis Geminis per sidera Cancri
Sol altos agitabat equos, Ægyptia cùm gens
Miratur Nili nulla incrementa videri;
Sed purum & nullâ permixtum flumen arenâ
Ipsum inter ripas tristi procedere cursu.
Jam tellus fœcunda priùs, nunc aret hiátque
Usta siti, nec spes Cereris promittitur ulla.

Interim non assentior *Sabellico*, qui Ennead. 1. lib. 3. putat *Josephum Pharaonici* somnii interpretationem hausisse ex contemplatione naturæ Nili; *Naturam*, inquit, *fluminis Josippus contemplatus duplicis insomnii ambages interpretatus est.* Aliud docent *Josephi* verba, Gen. xli. 16. *Non est penès me: Deus respondendo enunciabit prosperitatem Pharaonis.*

§. 30. De alia quoque Ægypti sterilitate loquitur *Plinius* in Panegyr. *Cùm Ægyptus frustrà optavit nubila, cœlúmque respexit, cùm inopinâ siccitate usque ad injuriam sterilitatis exaruit, & mergi palanti amne consueta, alto pulvere incanduit.*

Nempe docuit Ægyptum Deus nullâ hominum industriâ calamitates justo judicio decretas averti aut declinari posse, & exsecrabilem esse colonorum Ægyptiorum profanitatem, quâ non Deo sed Nilo sibiq; regionis fertilitatem adscribebant, cœlum nè adspicientes quidem; ut *Seneca* ait, *Nemo aratorum in Aegypto adspicit cœlum:* quippe porcis erant similes, qui glandibus in terram delapsis vescuntur, arborem verò è qua nascuntur & unde decidunt non intuentur.

Molani quidem Principis sui imperio Nilum effluere olim crediderunt Ægyptii, ut *Histor. Hierosolym. incertus autor* tradit: sed falsam illam fuisse persuasionem, nemo, opinor, est qui neget. Solius enim Dei imperium agnoscunt venti & flumina.

Post amissionem Aconis & Syriæ (verba sunt *Marini Sanuti*, lib. 1. par. 1. cap. 5.) *si tunc Aegyptiis non fuisset per nostrum mare de blado succursum, ipsi aut eorum major pars fame cogebantur contratas illas relinquere, aut mori.*

§. 31. Erat verò, ut & hoc addamus, Nilotici incrementi parvitas non tantùm futuræ sterilitatis, sed & sæpenumero insignis alicujus mutationis index, ut post alios notat *Camerarius*, Cent. 3. medit. hist. cap. 15. Ante mortem enim *Antonii & Cleopatræ* toto biennio non exundavit Nilus. Tempore famis sub *Claudio* iterum non exundavit, ubi rursus secutæ sunt mutationes. *Minimum Nili incrementum*, inquit *Plinius* lib. 5. cap. 9. *Pharsalico bello fuit, veluti necem Magni prodigio quodam flumine aversante.*

In omen quoq; rapi consuevit insolita incrementorum festinatio: Qualis observata *Vespasiano* Alexandriam ingresso, quo tempore quatuor digiti spatio unius diei incremento accessere, quod nunquam antea nisi semel factum esse dicebatur: *Xiphilinus* in *Vespasiano.*

§. 32. Habet tamen etiam justum Nili incrementum sua incommoda. Omnes namque terrestres belluæ, quæ incrementi tempore in campis manent, aquis suffocantur: quæ evadunt, ad altiora loca confugiunt. Unde pecora inundationis tempore, in stabulis conclusa nutriuntur, præparato ad id anteà pastu. Vulgus omissis operibus rusticis otiosum epulis indulget & voluptati.

§. 33. Adversùs hæc Nili damna singulari solertiâ natura instruxit animantia quædam, quæ exundationem Nili præsagiunt, & maturè sibi cavent. Sunt inter ea Aspides Nili ripas accolentes, quæ triginta circiter diebus antequam Nilus exundat longiùs à flumine in loca eminentiora unà cum fœtibus suis demigrant. Testudines quoque, Cancri, & Crocodili in loca Nilo inaccessa per id temporis ova sua transferunt: Unde ii qui ova eorum inveniunt, quantum & quatenus Nili rura irrigaturi incrementum sit futurum, colligunt: *Aelianus*, De animal. lib. 5. cap. 52.

De Crocodili præsagio ità scribit *Plutarchus*, De solertia

solertia animalium, *Neque intra neque ultra illud spatium ad quod Nilus sua annua eluere perventurus est, progressus ova ponit, ut quicunque agricola in ea incidat, cùm ipse intelligere tum aliis queat narrare quousque effluxurus sit amnis. Adeò scitè dimensus est, nè humidus humido incubat.* Est igitur & hæc ratio naturalis mensurandi incrementa Nili.

CAPUT VIII.

Tractatur controversia de efficiente Nilotici incrementi causa.

A variis variæ assignantur incrementi Nilotici causæ: Quidam causam reperiri posse negant, §. 1. *Contrarium alii statuunt: Et inter causas quidem referuntur Etesiæ,* 2. *Refutatur,* 3. *Solutio nivium Meridionalium,* 4. *Refutatur,* 5. *Nives septentrionales,* 6. *Refutatur,* 7. *Sol accedens & recedens,* 8. *Refutatur,* 9. *Sudor terræ Ægyptiacæ,* 10. *Refutatur,* 11. *Aqua pluvialis in Zona opposita,* 12. *Impugnatur hæc causa à* Diodoro Siculo, 13. *Defenditur* 14. *Caloris præsentia & absentia,* 15. *Refutatur,* 16. *Attractio aquarum,* 17. *Refutatur,* 18. *Oceanus,* 19. *Refutatur* 20. *Dei dispositio,* 21, 22. *Vera causa pluviæ ultra Æquatorem,* 23, 24. *Cur omnis aquarum moles à Septentrione versùs Austrum feratur,* 25. *Responsio ad quendam* Plinii *locum,* 26. *Mira quarundam regionum vicinarum quoad cœli constitutionem diversitas,* 27. *Argumenta* Aristidis *contra sententiam veram,* 28. *Solvuntur,* 29. *Cur Nilus cum tribus urnis figuretur,* 30.

§. 1. DE vera stati hujus incrementi causa variè inter doctos disputatur, ut videre est apud *Herodotum,* in Euterpe, *Diodorum Siculum,* lib. 1. c. 4. *Aristidem,* in oratione Ægyptiaca, *Heliodorum,* lib. 9. & 10. *Plinium,* lib. 5. c. 9. *Senecam,* lib. 4. Quæst. nat. cap. 2. *Ammianum Marcellinum,* l. 22. *Lucretium,* l. 6. *Lucanum,* l. 10. *Scholiasten Apollonii,* lib. 4. num. 23. *Scaligerum,* Exerc. 47. & alios. *Claudianus* negat veram incrementi causam reperiri posse;

Nec vero similes causas crescentibus undis,
——Ut tempus meruit.

Quis causas reddere possit? Exclamat *Lucanus.* In eadem sententia *Aristides* est.

§. 2. Veram tamen alii causam videntur sibi invenisse. Itaque præcipuas sententias enumerabimus, & quid veri falsíve contineant judicabimus.

I. *Thales* incrementi causam retulit ad Etesias, multósque applausores invenit. Statuit autem, spirantibus Etesiis, Nili influentis cursum per ventos contrarios sisti, fluménque retroagi, & aquis ob hanc causam excrescentibus & velut aggeratis, Ægypti, quæ plana & humilis regio est, inundationem sequi. *Acto,* inquit *Plinius, per Etesias contra Nili ostia mari, undas fluminis repelli & reverberatas in se recurrere.* Pulchrè eandem sententiam exprimit *Ammianus Marcellinus,* lib. 22. *Opinio,* inquit, *est celebrior alia, quòd spirantibus prodromis, pérque dies quadraginta & quinque Etesiarum continuis flatibus repellentibus ejus meatum, velocitate cohibita, superfusis fluctibus intumescit: & reluctante spiritu controverso adolescens in majus, hinc vi reverberante ventorum, inde urgente cursu venarum perennium, progrediens in sublime tegit omnia.* Idem quâ felicitate reddiderit *Lucretius* lib. 6. sequentes docent versiculi.

Nilus in æstate crescit, campísque redundat
Unicus in terris Ægypti totius amnis.
Is rigat Aegyptum, medium per sæpe calorem;
Aut quia sunt æstate Aquilones ostia contra,
Anni tempore eo quo Etesia flabra feruntur,
Et contra fluvium flantes remorantur, & undas
Cogentes rursus replent, cogúntque manere.
Nam dubio procul hæc adverso flabra feruntur
Flumine quæ gelidis à stellis axis aguntur.

Subscribit quoque huic sententiæ *Philo,* lib. 1. De vita *Mosis,* & ex recentioribus *Breidenbachius,* qui existimat circa Nili ostia arenam accumulari, eâque ostia obstrui.

§. 3. Sententiam hanc impugnant & expugnant rationes sequentes:

1. Si Etesiæ incrementi Nilotici causæ essent, alia quoque flumina eodem modo ad Etesias se habentia eadem ratione augerentur: At falsum hoc: Ergò & illud.

2. Si Etesiæ in Meridiem flantes, Nili incrementum efficerent, alii utique venti in Septentrionem spirantes occursantia flumina, ut Tanaim & Phasin, eodem modo attollerent: At falsum hoc. Et cùm ab omnibus mundi partibus contrarii fluminibus venti spirent, nec ullum sit flumen quin adversos quandoque ventos habeat, simile utique incrementum in omnibus deprehenderetur: quod hactenus quidem deprehensum non est.

3. Cùm nè minima quidem flumina ab adversis ventis ità retroagantur ut effluant, quis Nilo omnium maximo hoc accidere arbitretur?

4. Tantò majora essent Nili incrementa quantò fortiores sunt Etesiæ, & tantò minora, quantò remissiores Etesiæ: quod tamen experientia non cōprobat.

5. Crescit

5. Creſcit quandoque Nilus Eteſiis nondum ſpirantibus, & decreſcit adhuc ſpirantibus.

6. Qui flantibus Eteſiis ad Nili ſtant oſtia, maniſeſtum Nili in mare influxum obſervant.

7. Etiam flantibus Eteſiis dulce eſt mare Nili oſtiis vicinum: Non igitur ab Eteſiis Nilus retroagitur: ſalſum cùm aliàs mare eſſet, à Nili aquis influentibus immune.

8. Si Nilus ex mari quaſi reverberatus augeretur, marinam & ſalſam aquam Ægypti ægris induceret: At falſum hoc.

9. Si Eteſiæ hæc Nili incrementa excitarent, alii venti Eteſiis longè vehementiores idem in Nilo facerent: quod tamen fieri non deprehenditur.

10. Nili aqua in rivulos derivata, poſtquam ſat humoris terra hauſit, per rivulos in mare emittitur, ſpirantibus Eteſiis: Quòd ſi ergò leniſſimè fluentes rivuli ab Eteſiis non retroaguntur, multò minùs totum Nili flumen rapidiſſimum.

11. *Scaliger*, puerilem, hanc ſententiam appellat, præſertim cum Niger, qui in Oceanum perfluit Occidentalem, idem incrementum eodem tempore patiatur. Exciperent tamen forſan contrariæ ſententiæ patroni, Eteſias à diverſis mundi partibus ſpirare. Hactenus prima ſententia.

§. 4. II. *Anaxagoras* quoque applauſores invenit, qui ex Aethiopiæ jugis nives ſolutas ad Nilum uſque decurrere, indéque Nilum augeri ſtatuit. Qua in opinione, ut *Seneca* refert, omnis vetuſtas fuit, & Poetæ imprimis, *Aeſchylus*, *Sophocles*, *Euripides*, qui in *Helena* ſua ità canit,

Νείλου μὲν αἵδε καλλιπάρθενοι ῥοαί,
Ὃς ἀντὶ δίας ψεκάδος Αἰγύπτου πέδον,
Λευκῆς τακείσης χιόνος, ὑγραίνει γύας.

Inter recentiores *Cardanus* quoque ſententiæ hujus patrocinium ſuſcepit.

§. 5. Opinioni huic ſequentes rationes opponuntur:

1. Aethiopia eſt expers nivium, propter immenſum iſtius regionis calorem, quem nè hyems quidem domare prorſus valet. Ferventiſſimam verò regionem eſſe patet, ex incolarum colore, qui aduſtus; è ſaxis igni ferveſcentibus, non medio tantùm ſed & inclinato die; ex ardore pulveris, qui humani veſtigii non eſt patiens; ex ventis, qui inde ſpirant, calidiſſimis. Indicia verò quòd in regione iſtâ hyems gelida non ſit, certa ſunt: primò ex avibus, quæ hyemem aliàs fugiunt, ut ſunt hirundines & aliæ, Aethiopiam verò nunquam deſerunt: deinde ex ſerpentibus, qui frigoris impatientes alibi per hyemem ſub terra latitant, in Aethiopia verò in ſummo ſemper & aperto ſunt. *Nullum*, inquit *Seneca*, *ex his animalibus quæ latent brumâ, unquam reconditur in Aegypto; multò igitur minùs in Aethiopia, quæ Aegypto calidior.*

2. Alexandriæ, quæ tamen ab immodicis Aethiopiæ caloribus omnium Aegypti urbium remotiſſima eſt, nullæ cadunt nives. *Ipſius Aegypti primæ partes*, inquit *Ariſtides*, *à poſtremis ampliùs ferè differunt quàm ab ipſa Aegypto gens alia, quandoquidem ſuperiora multo plus caloris habent. Quare quæ in extrema Aegypto nunquam cernuntur, nec à quoquam audita ſunt, ea quis unquam in ortu Meridiei reperiri dixerit?* nempe frigus ac nivem tam copioſam ut ejus aqua major ſit quàm alvei.

3. Si maximè in Aethiopia nives caderent, ratio tamen non aſſequeretur quî regio tantis ſubjecta fervoribus duraturas per totam æſtatem nives poſſet fovere.

4. Illa flumina quæ citra controverſiam incrementa & exundationes ſuas liquefactis debent nivibus, primâ æſtate in locis frigidioribus intumeſcunt, reliquias nivis primo calore diſſipante: Quidni igitur in Aethiopia potiùs hoc contingeret, & ſic Nilus in vere, non in æſtate media ad finem uſque exundaret?

5. Si Nilus augeretur ex liquefactis nivibus, æſtate primâ pleniſſimus flueret: tum enim maximæ & integræ adhuc nives ſunt, quæ & pluviis & ingruente calore liquefiunt: At repugnat experientia.

6. Omne flumen nivibus excreſcens auram frigidam aerémque craſſum reddit: Atqui contrarium in Nilo deprehenditur.

7. Eandem ſententiam *Lucanus* hiſce verſibus refutat, lib. 10.

Vana fides veterum, Nilo, quòd creſcat in arva,
Aethiopum prodeſſe nives. Non Arctos in illis
Montibus, aut Boreas. Teſtis tibi Sole peruſti
Ipſe color populi, calidique vaporibus Auſtri.
Adde quòd omne caput fluvii quodcunque ſoluta
Præcipitat glacies, ingreſſo vere tumeſcit
Primâ tabe nivis: Nilus neque ſuſcitat undas
Ante Canis radios, nec ripis alligat amnem.

Sunt tamen rationum harum nonnullæ probabiles potiùs quàm neceſſariæ.

§. 6. III. *Democritus* incrementum Nili non ad Auſtralem ſed ad Septentrionalem nivem retulit. Sententiam verò, quæ conſideratis locorum intervallis planè abſurda videtur, ità explicat; In mundi parte Boreali maxima nivium copia brumæ tempore congelata æſtate liqueſit, inde elevatis ſurſum vaporibus, multæ denſæque nebulæ circa cacumina montana attolluntur: quæ ab Eteſiis ad altiſſimos Aethiopum montes delatæ in pluvias vertuntur: inde maximi in Aethiopia imbres, quibus augetur Nilus.

Ammianus Marcellinus ità sententiam hanc eloquitur, *Affirmant aliqui Physicorum, in subjectis Septentrioni spatiis, cum hyemes frigidæ cuncta constringunt, magnitudines nivium congelascere, easque postea vi flagrantis sideris resolutas fluxis humoribus nubes efficere gravidas, quæ in Meridianam plagam, Etesiis flantibus, pulsæ, expressæque tepore nimio, incrementa ubertim suggerere Nilo creduntur.*

Contra opinionem hanc militant sequentia argumenta:

1. Nilus incipit crescere solstitio æstivo, ut *Diodorus* refert, Etesiis nondum flantibus: cessat æquinoctio autumnali, longè antè sedatis hisce ventis.

2. Non minùs celsi sunt montes ad quos deferuntur nubes in aliis regionibus, in quibus tamen stata ejusmodi fluminum incrementa non sentiuntur.

3. Si Etesiarum flatibus nubes conflarentur, atque ex iis imbres crearentur, toto penè Augusto mense plueret, esséteque Nili incrementum omnium maximum: Atqui isto tempore minuitur Nilus.

Diodoro Siculo etiam hoc nomine sententia Democriti improbatur, quòd Etesiæ non sint venti Septentrionales sed potiùs Occidentales. Sed *Diodoro* hic plerique omnes contradicunt, & cum *Democrito* sentiunt. Interim tamen ex 2. lib. *Plinii* notat *Scaliger*, Exercit. 47. Etesias non indidem spirare omnibus regionibus, quando *in Hispania & Asia ab Oriente flatus eorum est, in Ponto ab Aquilone, reliquis in partibus à Meridie.* Hæc tamen *Democriti* sententia tam non est absurda quàm primâ fronte videtur: Et rectè quidem ad pluvias Æthiopiæ Nili incrementum refert, ut suo deinceps loco monstrabimus; etsi assignata pluviarum causa dubiæ veritatis est: allatæ tamen rationes apodicticæ non sunt. Quis neget à Septentrione in Meridiem à ventis propelli posse vapores seu nubes ex resolutis nivibus ortas, easque ad præcelsa montium Æthiopicorum cacumina delatas in pluviam densari?

§. 7. IV. *Herodotus*, ut à *Diodoro Siculo* refertur, putat Nilum naturâ suâ tantùm esse quantus incrementi tempore visitur: minui verò hyeme, quia ab Libyam tum Sol defertur, Nilique aquam ad se trahit & quasi haurit: Contrà verò in æstate, cùm ad Arctum adscendat, & Libyam quodammodo deserat, aquas suas totas & illibatas Nilus retinet, & ob naturalem aquæ copiam exundat.

§. 9. Nec hæc *Herodoti* consistere potest sententia.

1. Aquam Nili à Sole in Libyam tendente hauriri, tantâque copiâ aliò trahi non videtur verisimile. Quò enim declivior fit Sol, eò minùs efficax, minorémque trahendi vim habet: Contrà cùm ad Arctum adscendit, & Ægypto verticalior fit, longè efficaciùs aquas haurit & trahit. Ex hac igitur sententia Nilus in hyeme potiùs quàm æstate debebat crescere.

2. Si solida esset *Herodoti* ratio, eadem incrementa & decrementa omnes Libyæ fluvii aliarúmque regionum sentirent ex accessu & recessu Solis: quod tamen falsum.

§. 19 V. *Ephorus* aiebat omnem Ægypti terram, Nili inundatione exaggeratam, raram aridámque naturâ esse, in qua maximi hiatus exsistant pluribus in locis: hyeme igitur omnem humiditatem illos attrahere & in se continere, quam æstate veluti sudorem quendam emittunt: Unde fluminis incrementum. Paulò aliter sententiam hanc refert *Lucanus*,

——Sunt qui spiramina terris
Esse putent, magnosque cavæ compagis hiatus.
Commeat hùc penitus tacitis discursibus unda
Frigore ab Arctoo medium revocata sub axem,
Cùm Phœbus pressit Meroen, tellúsque perusta
Illuc duxit aquas: trahitur Gangésque Padúsque
Per tacitum mundi: tunc omnia flumina Nilus
Uno fonte vomens, non uno gurgite perfert.

§. 11. A vero quàm longissimè aberravit *Ephorus*.

1. Idem Nili incrementum deprehenditur priusquam Ægyptum attingit, ampliùs 6000 stad. ab Ægypto in Æthiopia.

2. Quis credat fieri posse naturaliter ut statis temporibus ex concavis Ægypti locis tanta aquarum copia exundet ut totam Ægyptum inundare possit?

3. Aut humiliores sunt cavernæ istæ Nilo, aut sublimiores, aut æquales. Si humiliores sunt, aquæ Nili in eas descendere quidem poterunt hyberno tempore: at quî adscendent in Ægyptiorum agros æstivo, nisi aliunde augeantur? Et si è cavernis adscendunt, cur non potiùs ex ipso Nili alveo? Unde nulla fuerit necessitas inducendi cavernas tam ingentes. Qui causam adscensûs ad Solis calorem retulerit, præterquam quòd de ipso Nili flumine idem dici possit, etiam concedat oportet omnibus aliis fluminibus & aquis subterraneis idem accidere; quod tamen falsissimum: Nec Solis calor evocat aquas nisi in vapores resolutas. Si altiores sunt, aquæ Nili hyberno tempore in eas non adscendent sponte sua: nec video causam externam attractricem quæ tantam aquarum molem possit elevare. Si æquales sunt, nulla erit causa cur ad cavernas potiùs quàm ad ipsum Nilum flumen immediatè exundatio referatur.

4. Internas illas Ægypti cavernas nullo certo experimento

perimento vel argumento *Ephorus* demonstrare potuit. Contrarium videtur demonstrari posse. Scribit *Plinius* Ægyptum terræ motu non quati: At cavernosæ regiones obnoxiæ sunt terræ motibus. Imò Ægyptus *nulla intervalla in se habet, sed crevit in solidum arescente limo*, inquit *Seneca*, Quæst. nat. lib. 6. c. 26. Mallem tamen, rarò, Ægyptum terræ motu quati dixisset *Plinius* quàm nunquam; nam & Ægyptum moveri *Seneca* annotat.

§. 12. VI. Quorundam in Memphi Philosophorum opinio fuit, Nilum oriri in Zona Aegypto opposita, itâ quidem ut cùm in Aegypto æstas est in Zona illa sit hyems: unde ingentem aquarum copiam Nilus hauriat, & in Aegyptum secum devehat: Non potuisse verò oppositam illam Zonam hactenus explorari, propterea quòd inter illam & nostram interjaceat inhabitabilis & inaccessa Zona Solis adusta ardore. Idem *Galenus* refert in libello De historia Philosophica; *Eudoxus*, inquit, *ab Ægyptiis sacerdotibus se accepisse memorat, permutationem æstatis in hyemem causam esse ut Nilus quotannis exundet. Nam quando nobis qui sub Cancro degimus æstas ingruit, habitantibus sub Capricorno hyems adest, quò fit ut inde advectus Nilus continuis pluviis auctus increscat, & ruptis alveis latissimè spatietur.* Eandem in sententiam interpretor *Theodoretum*, serm. 4. θεραπευτικῆς τῶν Ἑλληνικῶν παθημάτων, ubi Niloticæ exundationis causam assignat Solis ad circulum Borealem accessum, & à locis Australibus discessum, qui cæteris quidem ad Septentrionem fluviis incubat radiis ardentioribus, à Nilo verò magnis abscedit spatiis. Partem Nili hîc intelligit superiorem & Australem in Aethiopia, quæ hyemem patitur Sole ad circulum Borealem tendente; unde ex hybernis pluviis augetur.

§. 13. Sententiam hanc duabus rationibus impugnat *Diodorus Siculus*: 1. Si ex opposita Zona Nilus flueret, sursum utique ad nos ferretur, siquidem rotunda est terra: Atqui hoc impossibile. 2. Alia quoque flumina similiter ex opposita illa Zona ad nos fluerent; quod tamen non contingit.

§. 14. Nos verò in istorum Philosophorum sententia absurdi nihil deprehendimus. Suprà enim eam Nili esse longitudinem ostendimus ut perpetuam simul æstatem & hyemem habeat, ratione ortûs & exitûs. Cùm igitur Nilus in Aegypto ab exitu suo seu influxu in mare Mediterraneum nihil absit, consequens est hyemem in opposito ortu esse, cùm in Aegypto æstas est. Quòd verò de Nili adscensu objicit *Diodorus Siculus*, non magnopere morabuntur ii qui hanc admirandam Nili naturam esse agnoscunt, ut contrariâ aliis fluminibus naturâ per innumeros gradus adscendat: de quo suprà. Respondebunt alii, Nilum intra terram cæco & profundo alveo labi tantisper donec obstantem terræ tumorem recto intra terram cursu superârit.

Argumentum de terræ globositate quanti sit ponderis, adductis fluminum exemplis aliàs ostendimus in Physicis. Cur verò aliis fluminibus idem non contingat, ratio est; Quia nullum tantæ est longitudinis quantæ Nilus. Deinde non sequitur illico falsa esse quæ simile in natura exemplum non habent. Nilus multa habet singularia, quæ in aliis fluminibus non reperiuntur. De hac vel non absimili sententia pluribus sub finem hujus capitis agemus.

§. 15. *Oenopides Chius*, cùm videret aquas nonnullas fontanas æstate frigidas, hyeme verò calidas esse, Nilum hyeme parvum compressúmque aiebat esse, quòd calor internus humorem consumeret, & pluviæ nullæ essent quæ absumtum humorem restituerent; æstate verò effusum ob caloris interni absentiam: Sublatâ enim causâ tollitur effectus. Sed nullo negotio sententia hæc refutatur.

§. 16. 1. Omnibus fluminibus idem eveniret quod Nilo: similes enim ubique ferè sunt causæ: At contrarium testatur experientia.

2. Sequeretur Nili aquam hyeme calidiorem esse quàm æstate; quod experientiæ contrarium: nec ullum est flumen in quo hoc verum esse deprehendatur. Alia ratio fontium est, qui externo & frigido aeri non sunt expositi.

3. Plerique fontes, non obstante calore vel tepore, hyeme uberiores sunt quàm æstate: quidni ergò flumina potiùs?

4. Si maximè Nili aquæ calidiores essent hyberno tempore quàm æstivo, tantus tamen ille calor non esset ut tantam aquarum copiam posset absumere vel in vapores resolvere.

§. 17. VIII. *Timæus* Mathematicus, apud *Plinium*, existimat Nilum ardoris vi extrahi, & suspensum abundare, à Canis ortu, per introitum Solis in Leonem, stante sidere contra perpendiculum fontis Nili, quem Phialam appellant. Similem ferè sententiam refert *Lucanus*,

Rumor, ab Oceano, qui terras alligat omnes,
Exundante procul violentum erumpere Nilum,
Æquoreósque sales longo mitescere tractu.
Nec non Oceano pasci Phœbúmque Polúmque
Credimus. Hunc, calidi tetigit cum brachia Cancri,
Sol rapit, atque undæ plus quàm quod digerat aer
Tollitur: hoc noctes referunt, Nilóque refundunt.

§. 18. Parùm probabilitatis hæc habet opinio:

1. Sol verticalis aquas non auget, sed minuit potiùs, partibus aliquibus exhaustis & in vapores resolutis.

2. In-

2. Incrementum Nili ab ipso fonte incipere, hactenus nondum fuit probatum.

3. Idem in aliis omnibus fluminibus contingeret quæ eodem modo Sol adspicit: At contradicit experientia.

4. Noctu majora essent Nili incrementa quàm interdiu, refuso noctu humore qui interdiu attrahitur: Et hìc contradicit experientia.

§. 19. IX. Alii ad Oceanum retulerunt Nili incrementum: putârunt enim Nilum ex Oceano fluere, & inde tantam aquarum copiam Ægypto inducere.

§. 20. Hanc rudem opinionem appellat *Herodotus*, quam refutatione indignam judicat.

Negari quidem non potest Nili ortum deberi Oceano, ut fluminum aliorum omnium, quod pluribus alibi demonstratum, & ab *Hesiodo* quoque indigitatur in Theogonia,

Τηθὺς δ' Ὠκεανῷ ποταμοὺς τίκτε δινήεντας,
Νεῖλόν τ' Ἀλφειόν τε, &c.

Ubi *Tethys*, hoc est, terra, fluminum mater; *Oceanus* pater statuitur: quia è terræ quasi utero flumina & fontes scaturiunt; terra autem ex Oceano aquas concipit.

Qui verò stati istius incrementi Nilotici causa ad Oceanum referri possit, nemo facilè demonstraverit. Et cur idem in aliis quoque fluminibus, quæ ex Oceano derivantur, non contingeret? Interim tamen *Herodoti* responsio non placet: Negat enim Oceanum dari qui terram circumfluat, contra temporum nostrorum certissima experimenta.

§. 21. X. *Achoreus*, apud *Lucanum*, libr. 10. sententiam suam hisce versibus exprimit,

Ast ego, si tantam fas est mihi solvere litem,
Quasdam, Cæsar, aquas post mundi sera peracti
Secula, concussis terrarum erumpere venis,
Non id agente Deo, quasdam compage sub ipsa
Cum mundo cœpisse reor, quas ille Creator
Atque Opifex rerum certo sub jure coercet:

§. 22. Nullam hìc video Nilotici incrementi causam, nisi universalem, quæ DEUS est, qui eam Nili naturam esse voluit ut singulis annis exundaret. In quam sententiam etiam *Aristides* concedit, *Hanc ego*, inquit, *unicam video causam, nempe Dei sapientiam & providentiam, cur Nilus per Ægyptum fluat, atque æstate sit maximus.* Atqui cùm DEUS plerumq; causarum secundarum utatur ministerio, illibata de causis secundis incrementi Nilotici manet quæstio.

Doctissimus *Lucani* commentator *Lambertus Hortensius* putat ventorum violentiam à Poeta tanquam causam exundationis adduci. Sed nullam ventorum in allegatis *Lucani* versibus mentionem video.

§. 23. XI. *Agatharchides Cnidius* asserit singulis annis, per Æthiopiæ montes, continuos à solstitio æstivo usque ad æquinoctium autumnale imbres cadere: mirum igitur non esse, Nilum hyeme compressum, secundùm naturam, iis aquis fluere, quas fontes & alia flumina influentia subministrant, æstate verò propter imbres incrementum capere.

§. 24. Laudat sententiam hanc *Diodorus Siculus*, etsi causas hactenus pluviarum illarum nemo potuit reddere: atque multa naturam ferre contraria quorum causæ ab hominibus pervestigari nequeant.

In hanc sententiam è veteribus ivere plurimi, & inter eos *Arrianus*, in rerum Indicarum libro: cui ab hac incrementi causa διιπετὴς, hoc est, *à Jove lapsus*, videtur appellari, quòd imbribus augescat. Sequitur eandem *Theophylactus Simocatus* Ægyptius, lib. 7. Historiarum. Assentitur *Strabo*, lib. 17. ubi testes laudat eos qui Arabicum sinum usque ad regionem Cinnamomiferam navigârunt, aut ad elephantorum venationem missi fuerunt. Miratur verò *Strabo* cur tantis investigandi occasionibus oblatis, ejus ætatis hominibus non prorsus innotuerit imbrium istorum historia. Plura suffragia videantur capitis hujus §. 12.

Acquiescunt in eadem sententia hac nostra ætate plerique. *Franciscus Alvares* Regius in Æthiopiam Legatus, anno 1520, cum *Eduardo Calvano* ad *Pretiosum Joannem* profectus, ibidémque sexennium commoratus, abstrusiora illa loca peragravit, multáque ex Abyssinis, quorum in terris surgit Nilus, curiosè sciscitatus comperit, in terra Abyssinorum circa medium nostrum Junium hyemem incipere, & in Septembri finiri, continuis ferè & validis imbribus humidam. *Alvaresii* testimonio addit *Bodinus*, in Methodo historica, Gallorum quoque, qui in Africam navigârunt, assertiones, qui imbres ultra Æquatorem assiduos infestare regiones, & Nili incrementa efficere pro certo affirmant. Addit & *Plinii* suffragium, qui perpetuos ardenti æstate rores Africam irrigare scribit. Suffragatur *Martyr*, Legat Babylon. lib. 3.

Observanda hìc quæ ex recentibus navigationibus & peregrinationibus annotat *Gotardus Arthus*, Historiæ Orient. Ind. c. 15. ubi refert in regno Congiano, quod proximum regno Goyome, in quo Nilus surgit, hyemem cum nostro vere incipere, & æstatem cum nostra hyeme: continuas autem totis quinque mensibus ab Aprili ad Septembrem usque pluvias esse, aquâ decidente copiosâ, & guttis ad miraculum magnis: illâ verò aquâ mirum in modum augeri fluvium, & undiquaque se effundere, terrámque irrigare, ut totâ æstate, quâ nè semel quidem pluit, nullâ hume-

perimento vel argumento *Ephorus* demonstrare potuit. Contrarium videtur demonstrari posse. Scribit *Plinius* Ægyptum terræ motu non quati: At cavernosæ regiones obnoxiæ sunt terræ motibus. Imò Ægyptus *nulla intervalla in se habet, sed crevit in solidum arescente limo*, inquit *Seneca*, Quæst. nat. lib. 6. c. 26. Mallem tamen, raro, Ægyptum terræ motu quati dixisset *Plinius* quàm nunquam; nam & Ægyptum moveri *Seneca* annotat.

§. 12. V*I*. Quorundam in Memphi Philosophorum opinio fuit, Nilum oriri in Zona Aegypto opposita, ità quidem ut cùm in Aegypto æstas est in Zona illa fit hyems: unde ingentem aquarum copiam Nilus hauriat, & in Aegyptum secum devehat: Non potuisse verò oppositam illam Zonam hactenus explorari, propterea quòd inter illam & nostram interjaceat inhabitabilis & inaccessa Zona Solis adusta ardore. Idem *Galenus* refert in libello De historia Philosophica; *Eudoxus*, inquit, *ab Ægyptiis sacerdotibus se accepisse memorat, permutationem æstatis in hyemem causam esse ut Nilus quotannis exundet. Nam quando nobis qui sub Cancro degimus æstas ingruit, habitantibus sub Capricorno hyems adest, quò fit ut inde advectus Nilus continuis pluviis auctus increscat, & ruptis alveis latissimè spatietur.* Eandem in sententiam interpretor *Theodoretum*, serm. 4. Θεραπευτικῆς τῶν Ἑλληνικῶν παθημάτων, ubi Niloticæ exundationis causam assignat Solis ad circulum Borealem accessum, & à locis Australibus discessum, qui cæteris quidem ad Septentrionem fluviis incubat radiis ardentioribus, à Nilo verò magnis abscedit spatiis. Partem Nili hic intelligit superiorem & Australem in Aethiopia, quæ hyemem patitur Sole ad circulum Borealem tendente; unde ex hybernis pluviis augetur.

§. 13. Sententiam hanc duabus rationibus impugnat *Diodorus Siculus*: 1. Si ex opposita Zona Nilus flueret, sursum utique ad nos ferretur, siquidem rotunda est terra: Atqui hoc impossibile. 2. Alia quoque flumina similiter ex opposita illa Zona ad nos fluerent; quod tamen non contingit.

§. 14. Nos verò in istorum Philosophorum sententia absurdi nihil deprehendimus. Suprà enim eam Nili esse longitudinem ostendimus ut perpetuam simul æstatem & hyemem habeat, ratione ortûs & exitûs. Cùm igitur Nilus in Aegypto ab exitu suo seu influxu in mare Mediterraneum nihil absit, consequens est hyemem in opposito ortu esse, cùm in Aegypto æstas est. Quòd verò de Nili adscensu objicit *Diodorus Siculus*, non magnopere morabuntur ii qui hanc admirandam Nili naturam esse agnoscunt, ut contrariâ aliis fluminibus naturâ per innumeros gradus adscendat: de quo suprà. Respondebunt alii, Nilum intra terram cæco & profundo alveo labi tantisper donec obstantem terræ tumorem recto intra terram cursu superârit.

Argumentum de terræ globositate quanti sit ponderis, adductis fluminum exemplis aliàs ostendimus in Physicis. Cur verò aliis fluminibus idem non contingat, ratio est; Quia nullum tantæ est longitudinis quantæ Nilus. Deinde non sequitur illico falsa esse quæ simile in natura exemplum non habent. Nilus multa habet singularia, quæ in aliis fluminibus non reperiuntur. De hac vel non absimili sententia pluribus sub finem hujus capitis agemus.

§. 15. *Oenopides Chius*, cùm videret aquas nonnullas fontanas æstate frigidas, hyeme verò calidas esse, Nilum hyeme parvum compressúmque aiebat esse, quòd calor internus humorem consumeret, & pluviæ nullæ essent quæ absumtum humorem restituerent; æstate verò effusum ob caloris interni absentiam: Sublatâ enim causâ tollitur effectus. Sed nullo negotio sententia hæc refutatur.

§. 16. 1. Omnibus fluminibus idem eveniret quod Nilo: similes enim ubique ferè sunt causæ: At contrarium testatur experientia.

2. Sequeretur Nili aquam hyeme calidiorem esse quàm æstate; quod experientiæ contrarium: nec ullum est flumen in quo hoc verum esse deprehendatur. Alia ratio fontium est, qui externo & frigido aeri non sunt expositi.

3. Plerique fontes, non obstante calore vel tepore, hyeme uberiores sunt quàm æstate: quidni ergò flumina potiùs?

4. Si maximè Nili aquæ calidiores essent hyberno tempore quàm æstivo, tantus tamen ille calor non esset ut tantam aquarum copiam posset absumere vel in vapores resolvere.

§. 17. VIII. *Timæus* Mathematicus, apud *Plinium*, existimat Nilum ardoris vi extrahi, & suspensum abundare, à Canis ortu, per introitum Solis in Leonem, stante sidere contra perpendiculum fontis Nili, quem Phialam appellant. Similem ferè sententiam refert *Lucanus*,

Rumor, ab Oceano, qui terras alligat omnes,
Exundante procul violentum erumpere Nilum,
Æquoreósque sales longo mitescere tractu.
Nec non Oceano pasci Phœbúmque Polúmque
Credimus. Hunc, calidi tetigit cùm brachia Cancri,
Sol rapit, atque undæ plus quàm quod digerat aer
Tollitur: hoc noctes referunt, Niloque refundunt.

§. 18. Parùm probabilitatis hæc habet opinio:

1. Sol verticalis aquas non auget, sed minuit potiùs, partibus aliquibus exhaustis & in vapores resolutis.

2. In-

2. Incrementum Nili ab ipso fonte incipere, hactenus nondum fuit probatum.

3. Idem in aliis omnibus fluminibus contingeret quæ eodem modo Sol adspicit: At contradicit experientia.

4. Noctu majora essent Nili incrementa quàm interdiu, refuso noctu humore qui interdiu attrahitur: Et hìc contradicit experientia.

§. 19. IX. Alii ad Oceanum retulerunt Nili incrementum: putârunt enim Nilum ex Oceano fluere, & inde tantam aquarum copiam Ægypto inducere.

§. 20. Hanc rudem opinionem appellat *Herodotus*, quam refutatione indignam judicat.

Negari quidem non potest Nili ortum deberi Oceano, ut fluminum aliorum omnium, quod pluribus alibi demonstratum, & ab *Hesiodo* quoque indigitatur in Theogonia,

Τηθὺς δ' Ὠκεανῷ ποταμοὺς τίκε δινήεντας,
Νεῖλόν τ' Ἀλφειόν τε, &c.

Ubi *Tethys*, hoc est, terra, fluminum mater; *Oceanus* pater statuitur: quia è terræ quasi utero flumina & fontes scaturiunt; terra autem ex Oceano aquas concipit.

Qui verò stati istius incrementi Nilotici causa ad Oceanum referri possit, nemo facilè demonstraverit. Et cur idem in aliis quoque fluminibus, quæ ex Oceano derivantur, non contingeret? Interim tamen *Herodoti* responsio non placet: Negat enim Oceanum dari qui terram circumfluat, contra temporum nostrorum certissima experimenta.

§. 21. X. *Acoreus*, apud *Lucanum*, libr. 10. sententiam suam hisce versibus exprimit,

Ast ego, si tantam fas est mihi solvere litem,
Quasdam, Cæsar, aquas post mundi sera peracti
Secula, concussis terrarum erumpere venis,
Non id agente Deo, quasdam compage sub ipsa
Cum mundo cæpisse reor, quas ille Creator
Atque Opifex rerum certo sub jure coercet:

§. 22. Nullam hìc video Nilotici incrementi causam, nisi universalem, quæ DEUS est, qui eam Nili naturam esse voluit ut singulis annis exundaret. In quam sententiam etiam *Aristides* concedit, *Hanc ego*, inquit, *unicam video causam, nempe Dei sapientiam & providentiam, cur Nilus per Ægyptum fluat, atque æstate sit maximus.* Atqui cùm DEUS plerumq; causarum secundarum utatur ministerio, illibata de causis secundis incrementi Nilotici manet quæstio.

Doctissimus *Lucani* commentator *Lambertus Hortensius* putat ventorum violentiam à Preta tanquam causam exundationis adduci. Sed nullam ventorum in allegatis *Lucani* versibus mentionem video.

§. 23. XI. *Agatharchides Cnidius* asserit singulis annis, per Æthiopiæ montes, continuos à solstitio æstivo usque ad æquinoctium autumnale imbres cadere: mirum igitur non esse, Nilum hyeme compressum, secundùm naturam, iis aquis fluere, quas fontes & alia flumina influentia subministrant, æstate verò propter imbres incrementum capere.

§. 24. Laudat sententiam hanc *Diodorus Siculus*, etsi causas hactenus pluviarum illarum nemo potuit reddere: atque multa naturam ferre contraria quorum causæ ab hominibus pervestigari nequeant.

In hanc sententiam è veteribus ivere plurimi, & inter eos *Arrianus*, in rerum Indicarum libro: cui ab hac incrementi causa διιπετὴς, hoc est, *à Jove lapsus*, videtur appellari, quòd imbribus augescat. Sequitur eandem *Theophylactus Simocatus* Ægyptius, lib. 7. Historiarum. Assentitur *Strabo*, lib. 17. ubi testes laudat eos qui Arabicum sinum usque ad regionem Cinnamomiferam navigârunt, aut ad elephantorum venationem missi fuerunt. Miratur verò *Strabo* cur tantis investigandi occasionibus oblatis, ejus ætatis hominibus non prorsus innotuerit imbrium istorum historia. Plura suffragia videantur capitis hujus §. 12.

Acquiescunt in eadem sententia hac nostra ætate plerique. *Franciscus Alvares* Regius in Æthiopiam Legatus, anno 1520, cum *Edvardo Calvano* ad *Pretiosum Joannem* profectus, ibidémque sexennium commoratus, abstrusiora illa loca peragravit, multáque ex Abyssinis, quorum in terris surgit Nilus, curiosè sciscitatus comperit, in terra Abyssinorum circa medium nostrum Junium hyemem incipere, & in Septembri finiri, continuis ferè & validis imbribus humidam. *Alvaresii* testimonio addit *Bodinus*, in Methodo historica, Gallorum quoque, qui in Africam navigârunt, assertiones, qui imbres ultra Æquatorem assiduos infestare regiones, & Nili incrementa efficere pro certo affirmant. Addit & *Plinii* suffragium, qui perpetuos ardenti æstate rores Africam irrigare scribit. Suffragatur *Martyr*, Legat Babylon. lib. 3.

Observanda hìc quæ ex recentibus navigationibus & peregrinationibus annotat *Gotardus Arthus*, Historiæ Orient. Ind. c. 15. ubi refert in regno Congiano, quod proximum regno Goyome, in quo Nilus surgit, hyemem cum nostro vere incipere, & æstatem cum nostra hyeme: continuas autem totis quinque mensibus ab Aprili ad Septembrem usque pluvias esse, aquâ decidente copiosâ, & guttis ad miraculum magnis: illâ verò aquâ mirum in modum augeri fluvium, & undiquaque se effundere, terrámque irrigare, ut totâ æstate, quâ nè semel quidem pluit, nullâ hume-

humectatione indigeat. Eadem habet *Augustinus Cassiodorus* in Descriptione regni Congensis.

Natura quoq; aquæ Niloticæ hanc firmat sententiam. Est enim Nili aqua dulcissima, levissima, limpidissima, si defæcetur & à limo purgetur, itémq; tenuissima: quas aquis pluvialibus proprietates assignant *Hippocrates, Galenus*, De bonitate aquæ cap. 1. *Aegineta*, lib. 1. cap. 50. *Columella*, lib. 1. cap. 5.

Cùm igitur intra montium angustias in terra Abyssinorum arctetur Nilus, & ex montibus undiq; in alveum ejus præcipitentur aquæ pluviales, non potest non circa tempora ista Ægyptus eâ parte quâ plana est, Nilúmque excipit, tota inundari, aquis quæ intra montes compressæ attollebantur, se liberè diffundentibus, & per campos omnes spatiantibus. Hanc verissimam incrementi Nilotici causam esse nobis extra omne est dubium: Etsi pluviarum istarum causæ certæ & indubitatæ fortean nondum sunt investigatæ.

Democriti de iis opinionem suprà recitavimus. Alii ad singularem quarundam stellarum vim confugiunt, ut *Zanardus*, Universi Elementar. part. 3. qu. 35. *Scaliger*, Exerc. 47. Solis absentiam commendat; *Fiunt omni Solis absentiâ largiores imbres atq; diuturniores, quemadmodum nostro quoque cœlo, cùm abest autor siccitatis.* Cardanus libr. 2. sententiam suam hisce verbis explicat, *Sol verno tempore, dum in cœli est medio, id est, sub æquinoctiali, ventos frigidos facit, trahítq; humorem multum ad se, quem postea, cùm ad solstitium æstivum venit, demittit in terras, Austris ventis & Africo flantibus, cùm juxta Nili fontes, qui ad circulum Capricorni positi sunt, tunc hyems initium sumat. Indè cùm rursus Sol ad æquinoctium autumnale processerit, imbres iterum & aquas haurit è terra & fluminibus; sed non demittit ad Nili fontes, quoniam eò Sol vadit, æstatémq; facit, siccans aerem & terram: quo tempore maximè Nilum extenuari necessum est.* Hæc *Cardanus* probabiliter.

§. 25. Pertinet huc *Bodini* disputatio in Methodo Historica. Quæritur cur maris & omnis aquarum moles à Septentrione versùs Austrum magno impetu feratur; &, cur aquæ ad Meridiem potissimùm sint? Respondet *Bodinus* ex observationibus veterum & recentium: I. Chaldæi Africæ tribuunt triplicitatem aqueam. II. Auster calidus & humidus est. III. Testatur experientia singularem quandam marium cum Meridie συμπάθειαν esse. Aquarum enim decursus à mari Suevico, per Cymbricam Chersonesum, ad fretum Ixium, hinc ad Celticum & Ibericum littus fertur. Mare verò Caspium per interiores & occultos aditus, ut Mœotis, in Pontum evolvitur, atq; hinc per Hellespontum in Mediterraneum excipitur: Pòst ad fretum Herculeum magna vis aquarum erumpit, ut in Meridiem adversum feratur. IV. Prodit *Plinius* majores ab Austro cieri fluctus, quàm ab Aquilone. V. Imbres ultra Æquatorem assidui sunt, unde & Nili incrementa. VI. Sol ad austrû, ubi locus hypogæi, & terræ propior est, quàm ad Septentrionem, totâ Eccentrici latitudine, molem aquarum eò pertrahere videri potest. Ex hisce observationibus palàm est aquas naturâ propemodum ad Meridiem properare: Quod de superis & inferis experientia comprobat, etsi obscura est causa. Obscuritatem qui non agnoscit, causam nobis reddat evidentiorem eâ quam *Bodinus* assignat, Observ. 1, 2, 9. Causam quoq; reddat, cur ad polû inclinet magnes.

Nugæ sunt, quod de ferreis & magneticis montibus ad Septentrionem nonnulli garriunt; *Brodæus*, Miscell. lib. 3. cap. 29.

§. 26. Quod ergò *Plinius* ait lib. 17. c. 18. æstivos imbres in Æthiopia & India nullos cadere, sententiam hanc non lædit, nec enim æstivis Aethiopiæ sed hybernis (quæ tamen nobis æstivæ essent, si in menses eosdem inciderent) incrementum Niloticum adscribimus.

Ammianum Marcellinum non audimus, qui ex quorundam relatione scribit, imbres apud Aethiopias aut non unquam aut per intervalla temporum longa cadere: nostrorum enim temporum experimenta longè certiora aliud docent.

§. 27. Mira quidem hæc tractûs Meridionalis est diversitas, non tamen sine exemplo: Ut enim Aegyptus plana pluviarum est expers, Aethiopia verò illi continua & montosa hybernis pluviis penè obruitur: itá simili prorsus modo Peruani Regni planæ & montanæ regiones. Planæ æstatem habent, cùm in montanis hyems initium sumit: súntq; montanæ hyberno tempore perpetuis imbribus madidissimæ, planæ verò toto anno pluviarum ignaræ: & tametsi in iis per hybernos dies tanta sæpenumero nubium sit densitas ut Solis conspectum ad multos dies auferat, nullum tamen unquam eæ imbrem aut pluvias fundunt, sed exiguo saltem rore stillant, qui arenæ pulverem vix comprimit. Auget admirationem, quòd tanta sit ejusdem Regni ex modico locorum intervallo diversitas. Manè enim à montana regione profectus inter copiosissimas pluvias, ante noctem eò devenire possis ubi nullæ unquam pluviæ cadunt, *Gaspar ens*, Hist. Indiæ Occid. lib. 3. cap. 27. En tibi simillimas Aegypto & Aethiopiæ terras.

Idem miraculum ostentat quoq; regnum Malabaricum Orientalis Indiæ, quod anno 1497 primus detexit *Vascus Gamma*, ubi in eadem cœli plaga, pari Solis accessu & recessu, iisdem anni mensibus, ab ortu trans Gatis juga æstas & siccitas, ab occasu verò cis Gatem hyems & pluvia perpetua. Sanè

Sanè non videntur contemnendi qui pluviarum harum causas referunt ad ventos & excelsa montium juga, ad quæ propelluntur à ventis nubes.

§. 28. Omnium verò acerrimè sententiã hanc nostram de causa incrementi Nilotici oppugnat *Aristides*, in Oratione Ægyptiaca, sequentibus argumentis.

1. Si Nili incrementum à pluviis esset, subitò utiq; cresceret : At falsum hoc : Ergò & illud. Connexi ratio est; Quia quæ pluviis crescunt, subitò crescunt: Ut enim super terram vel aliud quid solidum humor fertur, ità super alvei aquam pluvia decurrit. Cur igitur idem Nilo non contingit?

2. Flumina quæ ex pluviis crescunt, cessantibus pluviis statim decrescunt: At hoc in Nilo non contingit, cujus incrementum diu durat.

3. Nilus planè dissimilis aliorum fluminum est: Non igitur incrementum ex pluviis cum aliis fluminibus commune habet.

4. Flumina quæ ex pluviis crescunt, per aliquot tantùm dies crescunt: At Nilus per quatuor menses continuos crescit: Non igitur ex pluviis crescit.

5. Si Nilus incrementum imbribus deberet, non esset id perpetuum, neque ad maximam altitudinem à minima primáque continenter progrederetur, donec justam assecutus esset, sed inæqualiter nunc adscenderet, nunc descenderet: At consequens falsum: Ergò & antecedens. Connexi ratio est; Quia flumina quæ ab imbribus augentur, stata & perpetua incrementorum tempora ac mensuras non habent, uti Nilus habet.

6. Si ex imbribus augeretur Nilus, non æstate tantùm sed & hyeme nonnunquam cresceret, ut alia flumina, quæ etsi plerunq; hyberno tempore exundent, nonnunquam tamen æstivo quoq; surgunt: Sic ergò & Nilus, etsi contrariâ reliquis fluminibus naturâ in æstate adscendit, interdum tamen hyberno quoq; tempore exundaret : quod nunquam observatum: Non igitur ad pluvias referri potest incrementum Niloticum.

7. Ultra cataractas arena copiosissima utramque Nili ripam occupat: Non igitur à pluviis potest esse incrementum Nili. Ratio est; Quia arena pluvias, si quæ essent, hauriret, nec tantâ copiâ in Nilum fluere pateretur.

8. Negant Aethiopes apud se pluvias esse: A pluviis igitur Nili incrementum non est. Ad antecedentis confirmationem adducit *Aristides Drauci* cujusdam testimonium, qui triennium in Aegypto superiori & Aethiopia se vixisse ait, & diligenter in omnem partem circumspexisse, nunquam verò æstate nubem ullam conspexisse; verùm immotum semper aerem tanquam picturam observâsse.

9. Inferior Aegyptus magnam sæpe pluviam excipit, unde tamen Nili incrementum nullum animadvertitur : Non igitur à superioris Aegypti pluviis incrementum ejus est.

10. Hyems superioris Aethiopiæ ferè æquè est calida atq; æstas Aegypti : Nubes igitur in pluvias tam uberes nequit densare.

11. Flumina quæ ex pluviis augentur, auras emittunt: Nilus nullas auras emittit.

Hactenus *Aristidis* argumenta contra sententiam quam amplexi sumus.

§. 29. Tanti tamen hæc argumenta non sunt ut in eorum gratiam deserenda nobis videatur sententia, quam tanquam veriorem elegimus, & gravissimorum autorum testimoniis approbavimus. Ordine igitur ad singula respondemus :

Ad 1m. Connexum nego. Probatio principium petit. Flumina videmus etiam à pluviis incrementa paulatim sumere : sunt enim & pluviarum certa incrementa. Decurrit ergò super alvei aquam pluvia, sed non pari semper mole & impetu.

Ad 2m. Propositio universalis non est. Quandóq; enim cessantibus pluviis flumina demum incrementa majora capiunt, aquis nempe è locis vicinis in ea post pluvias defluentibus: nec enim uno momento in loca vicina & in flumina derivantur. Imò cùm in remotioribus locis uberes pluviæ cadant, incrementa fluminum in iis locis quæ pluvias non sentiunt tardiora sunt, quia non uno momento aqua pluvia decidere & in longinqua loca ferri potest. Itaque sæpe fit ut sedatis pluviis incrementa fluminum in locis remotioribus demum sentiantur. Idem & Nilo in Aegypto accidere planè persuasum nobis est.

Ad 3m. Antecedens universale non est. Habet Nilus plurima cum aliis fluminibus communia, quæ tamen hactenus multis visa sunt singularia ex locorum aliorum ignoratione.

Ad 4m. Propositio universalis non est. Durabilia enim sunt incrementa ubi durabiles sunt pluviæ. Deinde assumtio quoque à nobis non admittitur. Videantur quæ supra de incrementi tempore disputavimus.

Ad 5m. Connexum nego. Ubi enim perpetua & æquabilis est causa, ibi effectus quoq; est perpetuus & æquabilis. Probatio connexi est principii petitio. Non de omnibus fluminibus dici debet quod de plerisque dici potest.

Ad 6m. Connexum nego. Sublatâ enim causâ tollitur effectus. Cùm igitur Aegyptus ipsa per se pluviarum sit expers, in iis verò locis unde originem Nili incrementa ducunt, æstivo tempore tam uberes pluviæ non cadant à quibus hyberno tempore in Aegypto Nilus augeri possit, nemini mirum videri debet:

bet quòd hyberno tempore Nilus nunquam exundet.

Ad 7^{m}. Consequentiam nego. Aquis enim postquam saturata est arena, aquæ fluxum minimè sistit, præsertim si copiosa sit & magno feratur impetu.

Ad 8^{m}. Antecedens universale non est. Æthiopum multi à nostris stant partibus, quibus attestantur qui loca isthæc peragrârunt. Non movet nos *Drauci* testimonium, cui fide dignissimos testes opponimus, quos capitis hujus §. 24 produximus. Deinde non dicimus nos, æstivos in Æthiopia imbres esse, sed hybernos, quibus æstivum Nili in Ægypto incrementum debetur: Æstatem enim Ægyptus habet, cùm hyems Æthiopiam superiorem exercet. Et quis scit an ad ista quoq; Æthiopiæ loca pervenerit *Draucus* iste in quæ validæ istæ pluviæ cadunt? Nec enim universa Æthiopia iis obnoxia est

Ad 9^{m}. Antecedenti omnes historiæ contradicunt.

Ad 10^{m}. Antecedens suspectæ fidei est. Et si maximè verum esset, consequentia tamen imbecillis esset. Videmus enim pluvias etiam in ferventissimis locis cadere. Deinde cùm in media aeris regione nubes densentur in pluvias, quid hoc ad infimæ calorem?

Ad 11^{m}. Assumtio quo sensu admitti possit c. 11. docebitur: Aquam verò pluviam principem esse caussam cur auras emittent flumina, ut credam à me non impetro. Pluvia enim aqua per se subtilior est quàm fluvialis aut fontana: Sol enim non crassiores aquæ partes extrahit & in vapores resolvit, sed subtiliores. Videatur de natura aquæ pluviæ nobile paradoxum *Juberti* nobilis Medici, quod quintum in deinde 1 est. In nostra igitur sententia perstamus.

§. 30. Coronidis vice adjicimus observationem Hieroglyphicam non alienam ab hoc argumento. Quærit *Pierius Valerianus* lib. 46. cur Nilus cum tribus urnis figurari soleat, cùm reliquis fluminibus singulæ singulis adhibeantur; secundùm illud *Maronis*,

Cælataque amnem fundens pater Inachus urna.

Respondet ideò hoc factum quòd Ægyptii Sacerdotes incrementum Nili tribus præcipuè de causis fieri putarent: Quarum primam aiebant esse ipsam Ægypti tellurem, quæ ex se aquas progigneret, uberriméque proferret, sui ipsa humoris altrix. Alteram Oceano adscribebant, à quo aquam in Ægyptum exundare incrementi tempore fama erat. Tertiam ad Etesias referebant. Ut igitur abjectis & quasi sepultis aliorum opinionibus quæ propemodum innumerabiles erant, sententiam ipsi suam perpetuis testarentur monumentis, tres urnas Nilo attribuerunt. Hactenus de caussis incrementi Nilotici. Quibus, si libet, & hoc attexe, Extremo mense majorem & concitatiorem *Aristoteli* Nilum videri propter defectum Lunæ. Verba Philosophi Poster. analyt. lib. 2. cap. 15. hæc sunt, Διὰ τί ὁ Νεῖλος φθίνοντος τοῦ μηνὸς μᾶλλον ῥεῖ; διότι χειμεριώτερος φθίνων· καὶ διὰ τί χειμεριώτερος φθίνων; διότι ἡ σελήνη ἀπολήγει. Mirum certè hoc videri possit iis qui aquarum incrementa non à deficiente sed à plena Luna proficisci, secundùm Philosophorum placita, credunt.

Albertus Magnus, in locum hunc, respondet, mensem in fine esse humidiorem & calidiorem, quòd Luna Soli juncta plus habeat caloris. Quæ responsio admirationem auget. Si enim mensis in fine est χειμεριώτερος, utique frigidior est: quod rationi quoq; magis consentaneum est: Luna enim deficiens minus caloris & luminis in mundum sublunarem infundit. Unde causam majoris incrementi Nilotici non ad calorem sed ad frigus majus referunt alii interpretes, *Niphus & Petrella: Deficiente lumine*, inquit *Niphus, deficit calor, qui resolvebat pluvias.* Satis de hisce.

CAPUT IX.

Aqua Nili limosa sed turbida.

Nilus limum vehit, & inde Schichor *&* Melas *dictus*, §. 1. *Nilus Gymnosophistis aqua & terra*, 2. *Limositatis causa vera*, 3, 4. *Causa falsa*, 5. *Locus* Dionis Chrysostomi, 6. *Pulvis Niloticus: usus ejus*, 7, 8. *Cur pulvis Niloticus reliquis prælatus*, 9.

§. 1. Hucusq; *quartum commentationis nostræ Niloticæ caput expeditum*. Sequitur quintum, De aquæ Niloticæ affectionibus & qualitatibus, à quibus denominatur. 1. Limosa seu turbida, 2. Dulcis, 3. Ἄναυρος, 4. Immunis à putredine, 5. Salubris, 6. Fœcunda. De singulis ordine dispiciemus.

Aquam Nili turbidam & limosam esse, extra controversiam est. Unde ab Hebræis *Schichor*, hoc est, *Niger*, à Græcis μέλας, à priscis Romanis nondum Græcæ linguæ adsuetis, *Melo*, autore *Festo*, Nilus est appellatus. Limum autem vehit magnâ copiâ, eúmq; nigricantem, ut suprà quoque meminimus: unde & ipsa aqua nigra. Cui contraria Danubii, quæ, quâ parte Vindelicam & Noricam à Germania divisit,

lactis diluti colorem refert, (*Agricola*, lib. 1. De natura eorum, quæ ex terra effluunt) quod & ipsum albicanti limo tribuendum.

§. 2. Hanc causam esse puto cur *Gymnosophistæ*, apud *Philostratum*, lib. 6. Nilum aquam & terram esse credant, & cur Poetæ Oceani & terræ filium eum fingant; *Boccatius*, lib. 7. Genealog. cap. 30. Aquam enim impensè limosam haud malè terream aquam vel terram aquosam dixeris. *Tam grandis*, inquit *Boccatius*, in libr. De flum. *est limi quem Nilus vehit copia, ut etiam sint qui arbitrentur ab hoc Pharon insulam à Continenti longo tractu distantem, eo aucto, jam diu fuisse conjunctam.*

§. 3. In causam hujus limositatis operæpretium est inquirere. Nos nativam eam Nilo esse non arbitramur. Causas verò ab aliis assignatas tres invenimus. Prima est imbrium in Æthiopia, quibus incrementum suum debet, vehementia. Hinc & alia flumina pluviis adaucta videmus limosa & impura esse. Aquæ enim pluviæ sordes undiquaque congestas secum in flumina devehunt. Attingit hanc causam *Arrianus*, Rerum Indicar. lib. pag. 272. Altera, soli per quod defluit in Æthiopia mollities, cujus particulas abrasas secum devehit. Assignat hanc causam *Plutarchus*, quam è recentioribus multi probant. Tertia, bestiarum in Nilo vagantium copia maxima, quâ non possunt non aquæ turbari & limosæ reddi. Hujus quoque causæ meminit *Plutarchus*, lib. 6. Sympos. quæst. 5. ubi causam reddit cur qui navigant, ante diem aquam è Nilo hauriant; nempe quia noctu fluvius adhuc placidus est & quiescit, interdiu verò, multis hominibus ambulantibus & navigantibus, multis etiam bestiis in eo vagantibus, conturbatur & limosus fit.

§. 4. Nos principem limositatis causam pluvias agnoscimus: cui alteram adjungimus, soli Æthiopici mollitiem, quam à continuis & validis istis pluviis nemo negaverit. Aquæ igitur pluviæ postquam ad satietatem ab Abyssinorum campis sunt haustæ, tandem per loca declivia in Nili alveum defluunt, & terram secum devehunt. Unde colligere erit incrementi tempore longè turbidiorem & lutosiorem esse Nilum quàm cùm parciùs & compressiùs fluit.

§. 5. Prorsus autem falsa est quam nonnulli comminiscuntur limositatis causa, quòd nempe præstantissimam terram ex Paradiso Nilus secum in sterile Ægypti solum devehat, eique fœcunditatem conciliet: Cujus sententiæ hypothesin suprà evertimus, cap. 3.

§. 6. Iis quæ de limositate aquæ Niloticæ hactenus dicta sunt non contradicunt ista *Dionis Chrysostomi*, in Tarsica priore, Οὐκ ἐστὲ εὐδαίμονες, οὐδ' ἂν ὁ Νεῖλος ὑμῶν διαρρέῃ τὴν πόλιν τῆς Κασταλίας φανερώτερος διαυγέστερος, hoc est, *Non estis felices, neque si Nilus per vestram fluat civitatem, perspicacior seu pellucidior Castalii factus.* Quæ verba non absolutè aquis Niloticis claritatem seu pelluciditatem tribuunt, sed ἐξ ὑποθέσεως, *si Nilus Castaliâ pellucidior factus*, φανερώτερος, *per urbem flueret:* quasi dicat, Vulgò felicissimos posse videri Tarsenses, si Nilus, qui Ægyptum turbidus & lutosus pervagatur, per urbem ipsorum clarissimus ac limpidissimus flueret; attamen & hoc nomine verè felices non futuros.

§. 7. Non importunum vel ab hoc argumento alienum fuerit, Nilotici pulveris mentionem hic injicere, quando idem cum exsiccato Nili limo videtur esse.

Pulverem ergò Niloticum olim ex Ægypto magnis impensis advectum fuisse luctatoribus Romanis, autor est *Tranquillus*, in *Nerone*, cap. 45. ubi *Ex annonæ caritate luctantium accrevisse invidiam: fortè enim accidisse ut in publica fame Alexandrina navis nunciaretur pulverem luctatoribus aulicis advexisse. Plinius* lib. 35. cap. 13. scribit, *Non multum à pulvere Puteolano distare è Nilo arenam tenuissimâ sui parte, non ad sustinenda maria fluctúsque frangendos, sed ad debellanda corpora palæstræ studiis.* Nominat ibidem Neronis libertum *Patrobium*, cui è Nilo hic pulvis advectus est: additque *Alexandri Magni* quoque ducibus, *Leonato, Cratero* & *Meleagro* idem sabulum cum reliquis commeatibus militaribus portari solitum.

§. 8. Idem ex historiis quoque annotavit *Alexander ab Alexandro*, Dier. genial. lib. 5. cap. 15. ubi usum arenæ hujus in specie explicat, *Solere*, inquit, *athletas & multarum palmarum pugiles ad vires refovendas pulvere luctatorio inspergi, quò fortiùs dimicent, ferè pervulgatum est, quem ex Nilo præcipuum fuisse volunt.* Inspersi igitur luctatoribus pulveris Nilotici causa fuit virium refectio & ad acriora certamina excitatio, ut pressiùs explicat *Cælius Rhodiginus*, Antiq. lect. lib. 25. cap. 16. *Athletarum*, inquit, *corporibus injectus pulvis frigefacit, & sudorem restinguit.* Quod ante *Cælium* scripsit *Plutarchus*, in libello De primo frigido. Alii tamen alios etiam fines commemorant, ut videre est apud *Hieronymum Mercurialem* De arte gymnast. lib. 1. c. 8. ubi reliquis præfert sententiam *Luciani*, qui inspersi pulveris usum fuisse contendit, ne oleo manus laberentur (priùs enim ungebant se luctatores quàm pulverem corporibus inspergerent) sed faciliùs exercitatores se comprehenderent. Unde pulverem illum inspersum *Martialis* appellat *haphen* (Græcis ἁφὴ dicitur) quia quasi ansæ vicem præstabat quâ uncti luctatores se

D com-

se comprehendebant. Interim à veritate aliena non sunt quæ ex *Plutarcho* & *Cœlio Rhodigino* de pulveris inspersi usu annotavimus. Unius enim rei multi possunt esse usus & fines.

§. 9. Cur autem præ reliquis arenis Nilotica in pretio luctatoribus fuerit, causa forsan erat, quòd & tenuior aliis esset, & sic corporibus tenaciùs adhæresceret, inq; poros penitiùs & promptiùs se insinuaret, & frigefaciendi vim majorem haberet. De tenuitate suspicari nonnihil licet ex *Plinii* verbis paulò antè laudatis. De frigiditate verò arenæ Niloticæ suspicari nos facit *Alexander Aphrodisæus*, Problem. lib. 2. probl. 6. ubi quærit, Cur in Ægypto, quæ calidissima est, vinum nasci frigidum soleat; contrà in Scythia, quæ frigidissima est, calidum. Præmissâ distinctione, quo sensu vinum dicatur frigidum; respondet, terram Ægyptiam vina frigidiora, cæterorum comparatione, afferre, quoniam calor illius cœli immodicus ità humum exhaurit ut calorem intestinum soli omnem evocet atque absumat; Scythiam verò, quòd frigida sit, calorem ad ima terræ compellere atque includere, adeóque facere vina calidiora & validiora. *Macrobius*, Saturnal. lib. 7. c. 8. idem problema tractat, & ex ἀντιπεριστάσεως, ratione aliquanto luculentiùs respondet: Summa hoc redit; Per intensum calorem Ægyptio aeri assiduè incumbentem frigus in terræ ima pellitur, vitiúmq; radicibus involvitur, & qualitatem ejusmodi succo inde nascenti indit. Hæc problematis decisio si quid ponderis habet, ad arenæ quoq; Niloticæ frigiditatem accommodari poterit. Non tamen ignoro quid contra *Aphrodisæum* & *Macrobium* disputet *Brodæus*, Miscell. lib. 2. c. 16. Hactenus de limositate aquæ Niloticæ.

CAPUT X.

Aqua Nili dulcis.

Aquæ Niloticæ dulcedo celebris, §. 1. *Nilum veteres Ægyptiorum Reges biberunt*, 2. *Causa dulcedinis*, 3; 4. *Contradicit* Diodorus, 5. *Respondetur ipsi*, 6. *Alia instantia adversus causam dulcedinis*, 7. *Respondetur*, 8. *Alia dulcedinis causa*, 9.

§. 1. NIloticæ aquæ dulcedo apud scriptores celebris est. Hinc *Seneca*, lib. 4. Quæst. nat. c. 2. *Nulli fluminum dulcior gustus est.* Et vino ob suavitatem dicitur æquiparata à *Pescennio Nigro* Imperatore, qui (autore *Spartiano*) militibus Ægyptiacarum stationum petentibus vinum respondit, *Nilum habetis, & vinum petitis?* Unde & reliqui accolæ Nili olim aquis contenti vinum non quærebant, nec penuriam ejus metuebant, *Achilles Tatius*, lib. 4. A *Dione* tamen φίλοινοι nuncupantur Ægyptii: Quod confirmantem vide *Cœlium Rhodiginum*, lib. 16. c. 3. Nec ego *Dioni* temerè contradixerim. Niloticas enim aquas in vinum converti olim optârunt Ægyptii: itque voti damnarentur, undecimâ Tybi, hoc est, 6 Januarii, de Nilo aquam hauserunt, quæ in vinum converti vulgò credebatur, idq; CHRISTI virtute, quâ in nuptiis Cananæis eodem die in vinum aquæ sunt mutatæ, *Epiphanius*, & ex hoc in Annalibus *Baronius*.

Quærit *Aristides*, *Aquæ Niloticæ dulcedinem quantam esse credis?* Respondet, *Quantum nunquam dixeris. Bibenti*, inquit *Achilles Tatius*, ὕδωρ γλυκὺ ἦν καὶ ψυχρόν. *Heliodorus*, Ποτὸν ἐστὶ γλυκύτατον.

§. 2. Secundus Ægypti Rex *Philadelphus* cognomento, cùm filiam suam *Berenicen* Assyriæ Regi despondisset, magnis impensis curavit Nili aquam adferri, ut solius hujus fluminis aquam filia biberet, *Stuckius* Antiq. conviv. lib. 3. c. 6. Eadem pro deliciis inter Regia munera olim habita fuit; (*Langius*, in priori Epist. parte pag. 105.) potúmq; præbuit veteribus Ægyptiorum regibus, ut Choaspes Persarum Regibus. Etenim vino olim Ægyptios Reges in mensis prorsus abstinuisse, autor est *Hecatæus*. Post tandem certa vini mensura etiam Regi quotidianis fercilis data est, ultra quam excedere non licebat, nè sui impos per occasionem & licentiam turpitudini & sordibus vacaret; *Alexander ab Alexandro*, Dier. genial. lib. 3. c. 11. Videbant enim sapientissimi mortalium capitaliorem rectæ rationis justæque actionis hostem nullum esse quàm ebrietatem: quæ omnibus quidem perniciosa, sed iis maximè quos ad rerum humanarum sedere gubernacula sanctio Divina voluit. Unde rigidissimis olim Indis constitutum erat, si temulentum Regem mulier occidisset, hoc donaretur munere ut successori nuberet; *Alexander ab Alexandro*, ibid. Ubi verò jam istorum temporum sobrietas!

§. 3. De causa dulcedinis quæritur. *Scaliger*, Exercit. 48. causam suavitatis refert vel ad fluminis naturam, vel ad Solis operam, vel ad cursûs longinquitatem. Duas posteriores causas attingit quoque Scholiastes *Apollonii*, in lib. 4. n. 23. ex sententia *Democriti*, qui aiebat Ἀποξλυκαίνεσθαι τὸ ὕδωρ διὰ τὸ διωκῆσαι, τὸ μῆκος τοῦ πόρου ὑπὸ τοῦ καύματος ἀναβαλλόν.

§. 4. In fluminis natura si causa est, utique occulta

culta est & interna, quam investigare & explicare arduum fuerit. Ad Solis operam si referatur, dubio procul coctioni & attenuationi accepta erit ferenda. Aquarum enim suavitatem impediunt crassæ, crudæ & terrestres partes, quas attenuat & elaborat Solis calor, in Æthiopio & Ægypto ferventibus. Ex eodem fundamento suaviores & salubriores sunt aquæ ad Ortum quàm ad Occasum, salientes, & libero aeri Solisque actioni expositæ, quàm puteales & absconditæ. Hinc quoque dulcedo pluvialibus aquis. *Signum*, inquit, *Galenus*, De bonitate aquæ, cap. 1. *quòd à Solari caliditate concoquatur. Nam & cætera omnia quæ elixantur, seipsis dulciora fiunt.* In Nilo igitur maximè locum habet hæc causa, cùm aquæ ejus maximam partem sint pluviales, iisque ab ortu ad exitum Sol ardentissimus immineat.

§. 5. *Diodorus Siculus* acriter circa causæ hujus assignationem nobis contradicit: *Dulcedinis fluvii*, inquit, *causa quam afferunt ratione penitus caret. Si enim caloris æstu decoctus fluvius dulcedinem sortiretur, nequaquam gigneret animantia, neque varias piscium aut ferarum species contineret. Aqua enim omnis à natura ignis mutata nequaquam generat.*

§. 6. *Resp.* Aquam ab ignis natura elaboratam, & à crassitie & cruditate terrestri liberatam, nullam habere vim generandi nos falsum esse arbitramur. Testatur enim experientia pluvias calidiores longè fœcundiores esse quàm frigidas, quæ etiam noxiæ multis humi nascentibus sunt. Longè quoque salubriores esse aquas Soli expositas quàm ab eo absconditas, apud omnes in confesso est.

§. 7. Sed validior ratio hanc alteram causam videtur urgere. Nam si mare à Solis calore salsedinem contrahit, extractis partibus subtilioribus, relictisque & adustis terrestribus, quæ receptissima sententia est, non videbitur idem calor dulcedinem ac suavitatem aquis Niloticis posse conciliare: sunt enim planè contrarii hi effectus. Et cur non ex Nilo quoque Solis ardor extraheret partes subtiliores, relictis & adustis terrestribus crassioribus?

§. 8. *Resp.* Salsum reddi mare à Solis fervore partes subtiliores extrahente & reliquas terrestres adurente, nobis non videtur verisimile. Causas suo loco plurimas adduximus. Itaque hæc instantia non nos sed recepti erroris patronos urget. Habebunt tamen & illi fortean quod respondeant; Nempe non esse in Nilo adustioni locum, cùm aqua ejus naturâ non tam sit crassa quàm maris aqua; Oriri verò majorem suavitatem, quòd crassiores reliquiæ à calore facilè superentur & emendentur; fieri id in mari non posse propter excessum naturæ terrestris. Addent, In Nilo moderatam esse caloris vim propter rapidum fluminis motum, & ideò parciùs quoque subtiles partes extrahi: contrarium in mari fieri propter quietem.

Hactenus altera suavitatis causa; Tertia si statuatur cursûs longinquitas, hæc reddi videtur posse ratio; Quòd aqua per cursûs longinquitatem magis magisque attenuetur; Attenuata verò suavior est quàm terrestris & crassa.

CAPUT XI.

Aqua Nili ἄναυρος.

Nilus ἄναυρος *dictus*, §. 1. *Causa affectionis secundùm* Herodotum, 2. *Contradicit* Aristoteles, 3. *Causa secundùm* Cardanum, 4. *Refutatur*, 5. *Causa secundùm* Scaligerum, 6. *Nilus non tam est* ἄναυρος *quàm videtur esse*, 7. *Sententia* Lælii Bisciolæ, 8. *Contradictio* Plinii, 9. *Conciliatio* Lipsii *rejicitur*, & Theophrastus *opinioni receptæ conciliatur*, 10. *Dicuntur & alia flumina* ἄναυρα, 11.

§. 1. HUcusque Nili dulcedo. Alia quoque Nili qualitas prædicatur, à qua ἄναυρος, hoc est, *auræ expers*, dicitur: Quâ de re ità *Plinius*, lib. 5. c. 9. *Idem amnis* (de Nilo loquitur) *unus omnium nullas exspirat auras*: Quod ex Euterpe *Herodoti* descripsit, cujus verba, Αὔρας ἀποπνέουσι μοῦνος πάντων ποταμῶν οὐ παρέχεται. Per auras verò intelliguntur vapores ex aquarum per calorem orta resolutione, sursùmque evocati, qui pluviis, nivibus, &c. materiam subministrant. In libro *Aristotelis*, De mundo definitur aura, ἐκπνοὴ ἐξ ὑγροῦ φερομένη, hoc est, *exspiratio ex humido prodiens.*

§. 2. De causa affectionis hujus quæritur. *Herodotus* hanc affert causam; Quòd Nilus ex calido loco in calidum fluat, adeóque & ipse totus sit calidus; auras verò è frigidis exhalare. *Herodoto* contradicit *Aristoteles*, Probl. sect. 23. probl. 16. ubi auram è calidis & frigidis aquis exhalare docet: quod cùm rationi tum experientiæ consentaneum est: Rationi quidem; quia nulla aqua auram exhalat nisi priùs aliquo modo calore sit alterata: quò diutiùs verò aquæ calor incumbit, eò plures extrahit vapores, nisi alia obstet causa: Experientiæ verò; quia calidas aquas & fontes maximè fumare experimur.

§ 4. *Cardanus* scribit, Nilum ideò nullas exspirare auras quia vapores consumuntur, propterea quòd Nili cursus penè totus sit sub Sole.

§. 5. *Resp.* At verò vapores consumi priùs nequeunt quàm sint ex aquis vel corporibus aqueis excitati. Si igitur ex Nilo excitantur, non erit ἄναυρον hoc flumen. A *Scaligero* alio quoque nomine castigatur. Nam si maximè propter Solem incumbentem nullas interdiu auras exhalare posset, noctu tamen, absente Sole, posset: calore enim summo auræ absumuntur, mediocri verò, qualis noctu, attolluntur. *Tantus*, inquit; *in nocte calor est, ut vaporem levare queat; tam modicus, ut non disperdat.*

§. 6. *Scaliger* causam refert in aquæ Niloticæ tenuitatem: quam ingeniosè hoc modo explicat, *Longo cursu exercitus attenuatur humor, ità ut ne sublatus quidem in aerem possit corpus capere. Ità aer auram exceptam sibi similem diffundi in seipsum patitur, neque cogit ut consistat: ut non tam resolvat, quàm nullius indigam resolutionis secum habeat.* Hæc *Scaliger.*

§. 7. Itaque si rem accuratè ponderemus, Nilus non tam reverà erit ἀναυρος quàm esse videbitur, exhalat enim auram, sed adeò subtilem ut ejus in aere vestigia nulla appareant, quia aeri simillima est: unde nec in pluviam illo loco densatur.

§. 8. *Lælius Bisciola*, tom. 2. Horar. subsec. lib. 1. cap. 19. cum *Brodæo*, lib. 3. Miscell. cap. 30. existimat, ἄναυρον dici Nilum & alia flumina, non quòd nullam prorsus exhalent auram, sed quòd perexiguam & tenuem reddant: Quam in sententiam trahit particulam privativam, quæ sæpe non universam rem tollit, sed imminuit tantùm. *Plinio* igitur hoc loco non assurgit.

§. 9. Sed & contradicere sibi videtur *Plinius*, qui lib. 21. c. 7. scribit, *in Ægypto flores non esse odoratos, quòd nebulosus & roscidus aer sit à flumine Nilo.* Descripsit id ex *Theophrasto*, lib. 6. cap. 17. cujus verba sunt, Ἐν Αἰγύπτῳ χείριστα τὰ ἄνθη καὶ τὰ στεφανώματα, ὅτι πολὺ τὸ ὕδωρ, ὁ ἀὴρ ὁμιχλώδης καὶ δροσοβόλος. *Plinius* cum *Plinio* qui conciliari hìc possit, equidem non video.

§. 10. *Lipsius* quidem lib. 2. Lect. var. excusare *Plinium* nititur; sed æquiore animo quàm justâ causâ, ut judicat *Jacobus Delacampius.* Interim *Theophrastum* faciliùs receptæ opinioni conciliaveris. Non enim Nili mentionem *Theophrastus* facit. Fieri igitur potest ut aliis de causis Ægypti aer in locis nonnullis sit nebulosus & roscidus. Non verò debebat *Plinius* è *Theophrasto* transferre quod in *Theophrasto* non invenerat, præsertim cùm prioribus ejus placitis contraria essent. Etsi ipsius quoque *Theophrasti* testimonium propemodum suspectæ veritatis apud me est: Summa enim Ægyptii aeris salubritas, de qua mira prædicat *Sanutus*, lib. 2. part. 4. cap. 14. non videtur admittere duo illa epitheta ὁμιχλώδης καὶ δροσοβόλος, præsertim si excessum quendam denotent, cui florum imputanda sit utilitas. Novimus aliàs gloriam herbarum Ægypto fuisse tributam ab *Homero*: *Plinius*, lib. 24. cap. 2.

§. 11. Est & aliud hoc loco observandum, Ex *Plinii* sententia non solùm Nilum esse ἄναυρον, sed & Borysthenem, de quo ità scribit lib. 31. cap. 5. *Borysthenes æstatis temporibus cæruleus fertur, quanquam omnium aquarum tenuissimus, ideòque innatans Hypanis. In quo & illud mirabile, Austris flantibus superiorem Hypanim fieri. Sed tenuitatis argumentum & aliud est, quòd nullum halitum, non modò nebulam emittat.* Quæ rursus videntur superioribus contraire, *Nilus unus omnium nullas exspirat auras.*

Lipsius scribit similem Thessaliæ esse fluvium, ob id Ἄναυρον nominatum. Ejusdem nominis alius in Syria fuit. Quod amplius est, *Brodæus* cunctis Libyæ fluminibus hoc commune putat esse: nec dissentit *Lælius Bisciola*; sensu tamen eo quem verbis ipsius anteà expressimus. Autorem *Brodæus*, lib. 3. Miscell. cap. 30. laudat *Theophrastum* περὶ ἀνέμων.

CHAP. XII.

Nili aqua immunis à putredine.

Nili aqua putredini non obnoxia, §. 1. *Sed à limo purgata*, 2. *Causa affectionis hujus*, 3. *Cur aquæ Niloticæ non putrescant, cùm tamen maximam partem sint pluviæ*, 4.

§. 1. HAbet & aliam prærogativam aqua Nilotica: A putredine enim, vini instar, immunis esse dicitur: Unde in fictilibus vasis per tres aut quatuor annos asservatur ad potum. Autor nobis *Aristides* in Oratione Ægyptiaca, ubi docet Nili aquam non σήπεσθαι. Addit, Καὶ μόνοι, ὧν ἴσμεν, Αἰγύπτιοι χαίρουσι ὕδωρ παλαιὸν, ὥσπερ ἄλλοι οἶνον, πιμπλᾶσι, καὶ ἔχουσι τριῶν καὶ τεττάρων ἐτῶν ἔνδον, καὶ ἐν πλεόνων καὶ τῷ χρόνῳ τιμῶνται, ὥσπερ ἡμεῖς τὸν οἶνον. In longinquas regiones hoc modo devehitur.

§. 2. Accipiendum tamen hoc de aqua Nili purgata, & à limo per artem liberata. Limosum enim

putre-

putrescere extra dubium est, quod & vinis & aliis liquoribus impuris contingit. Quò enim à mistione remotius est naturale corpus, eò minùs obnoxium est putredini: cùm misti corporis affectio sit putredo.

§.3. Affectionis hujus causâ conjectare in proclivi videtur esse. Est enim aqua Nili à limo purgata elaboratissima, tenuissima & limpidissima: Unde putredini minùs obnoxiam esse palàm est. Cruda enim, crassa & composita infestat putredo; quam contrariæ arcent affectiones.

§.4. Cùm autem Nili exundantis aqua maximam partem sit pluvia, & verò pluviæ aquæ ad putredinem sint proclives, ut testantur Medici, & inter eos Ægineta, lib. 1. c.50. non sine causa quæritur cur in aquis Niloticis contrarium deprehendatur? Resp. Vel ἀσηψία aquæ Niloticæ competit ut sincera est, qualis è fontibus effluit, aquis pluvialibus copiosis non permista; vel eâ pollet virtute nativa Nili aqua, ut εὐσηψίαν pluviarum etiam copiosarum prohibeat; vel deniq; aquæ pluviæ ad putredinem proclives sunt, non per se, sed ex accidente impuritate, à qua liberari nullo negotio possunt, uti & Nilotica.

CAPUT XIII.

Nili aqua salubris.

A salubritate aqua Nilotica commendatur, §. 1. *Eadem qualitas aquæ Danubii, ibid.* Hirtii *sententia,* 2. *Vindicatur à contradictione,* 3. *Aqua Nili defæcanda,* 4. *Modus defæcationis, ibid.*

§. 1. SAlubritatem aquæ Niloticæ loquuntur exempla Regum & populorum, qui nullo valetudinis dispendio, sed commodo potiùs maximo, aquam hanc olim biberunt, & vitæ annos penè ultra mortalitatis nostræ terminos protulerunt: ut Aethiopum docet vivacitas. Insigniter quoque eam commendant veteres Medici & Philosophi, certi & ἀδέκαστοι testes. *Platoni* in Timæo videtur hoc nomine σωτὴρ appellari. *Galeni* judicium hujusmodi est, *Nilum ità laudo, ut bonitatis excellentiâ paucis admodum fluminibus comparari possit, nam & mulierum partionem insigniter adjuvat. Avicenna* quatuor ex causis Nilo incomparabilem bonitatis vim attributam scribit: prima est cursûs longitudo, quâ tenuior ac subtilior videtur reddi; secunda, regionis per quam delabitur nitor & præstantia; tertia, fluxus à Meridie in Septentrionem; quarta, immensa fluminis moles. *Aetius* omnes fluviatiles & palustres aquas damnat, exceptâ solâ Niloticâ, quæ judicio ipsius πᾶσι ταῖς ἀρεταῖς κεκόσμηται, hoc hoc est, *omnibus virtutibus insignis est. Marinus Sanutus* Aegypti aquam, quæ Nilotica, omnium totius mundi aquarum optimam esse prædicat, lib. 2. part. 4. cap. 14. Sanissimam ad bibendum, *Gulielmus Baldensel. Cœlius Rhodiginus* bonitatis notas hasce prædicat 3. 1. Haustu suavis est, 2. Mediocrem in alvo moram ducit, 3. Sitim convenienter restinguit, 4. Nullum per frigus infert nocumentum. *Martyr*, Legat. Babyl. lib. 3. *Totam, inquit, illius anni quadragesimam, cum piscium esu, Nili fluminis aquam solam interdum, interdum vino commistam bibi, nec stomacho unquam, qui me sæpissimè fatigabat, aut alicui corporis parti jacturam mihi attulisse cognovi.*

Admirabilior hæc aquæ Niloticæ proprietas inde evadit, quòd aquæ versùs Austrum in universum ferè damnari solent. Hinc *Hippocrates*, De aere, locis & aquis, sect. 3 *Deterrimæ aquæ quæ ad Austrum spectant.* Videntur autem aquæ Niloticæ salubritatem à pluviis habere, quibus incrementa sua debet Nilus. Sunt enim aquæ pluviæ salubriores reliquis, ut nôrunt rerum naturalium periti. Videatur *Vitruvius*, lib. 8. c. 2. *Columella*, lib. 1. c.5. *Avicenna*, lib. 1. sen. 2.

Aemulum hîc Danubium videtur Nilus habere. Sic enim de Danubii aquis *Stuckius*, in Peri. Ponti Euxini, *Aquam Danubii ad potandum pariter atque balneandum suavem, utilem ac salubrem esse, inter omnes ferè constat.*

§. 2. Omnibus verò hisce contradicere videtur *Hirtius* in Bello Alexandr. ubi ait, *Nili aquam limosam & turbidam multos variósq; morbos efficere.* Et verò docet res ipsa limosas & impuras aquas minùs salubres esse: unde hoc nomine omnes Philosophi & Medici damnant aquas palustres.

§. 3. Sed nulla hîc contradictio: Non enim limosam & impuram Nili aquam à salubritate commendamus, sed puram & à limo omni probè purgatam, quando limositas & impuritas non nativa sed adventitia Nilo est, & emendari facilè potest.

§. 4. Hinc *Galenus*, Comment. in 6. Epid. & lib. 1. De simpl. medicam. facult. monet, Nili aquam, ut salubris sit, bis vel ter colandam esse per vasa fictilia, donec subsidente limo prorsus defæcata & limpida sit: διὰ τῶν κεραμίων ἀγγείων ἠθημένον ἀκριβῶς γίνεται καθαρόν· χρὴ δὲ μὴ ἅπαξ, ἀλλὰ δὶς ἢ τρὶς διηθεῖν αὐτό.

Fodiunt hanc in rem Ægyptii cisternas, in quibus per arenas distillata Nili aqua purgatur. Moderni Ægyptii in capacibus testis per triduum asservant aquam

aquam priùs quàm bibant: interim omnis limus subsidit, & limpida evadit aqua. (Vasa Niloticæ aquæ defœcandæ commoda olim *stactica* vocabantur; *Cælius Rhodiginus*, lib. 24. c. 22.) Qui tridui moram ferre nequeunt, amygdalas amaras unà cum putaminibus mollioribus contundunt, & in aquam conjiciunt: quarum ope spatio viginti quatuor horarum clara & limpida redditur aqua.

CAPUT XIV.

Piscium in Nilo copia.

Admiranda aquæ Niloticæ fœcunditas quatuor indiciis demonstratur, §. 1. *Nilus abundat piscibus*, 2. *Stagnum Carniolæ*, 3. *Ex Ægypto pisces Nilotici saliti aliò deferuntur*, 4. *Nilo familiares pisces*, 5. *Homines Nilotici*, 6.

§. 1. SExta aquæ Niloticæ affectio est *Fœcunditas admiranda:* Quam quatuor indiciis evidentissimis demonstrabimus. Sunt ea, 1. Animantium, quæ intra se Nilus gignit, mira copia & magnitudo; 2. Admiranda agrorum Ægyptiorum fertilitas; 3. Caprarum & ovium in Ægypto fœcunditas & pinguedo; 4. Mulierum πολυτεκνία: De quibus singulis ordine deinceps agemus. Qualitatem hanc indigitat *Dionysius Periegetes*, cùm Nilum appellat πιότατον, quam integro versu exprimit,

Ὕδασι πιαίνων λιπαρὸν πέδον Αἰγύπτοιο.

§. 2. Primum igitur indicium in genere quod attinet, ex historiis notum est, piscibus usquè adeò abundare Nilum ut maximam eorum copiam singulis annis in agros Ægyptiorum secum educat, &, cùm alveum suum repetit, vel in siccis agris vel in brevibus limosis destituat. Qua de re operæpretium fuerit legere & audire *Ælianum*, lib. 10. De animal. cap. 43. *Tum*, inquit, *Ægyptii ibi piscantur ubi antea arationes erant, & navibus ad fluvii accessionem accommodatis præparatisq; navigant. Posteà verò quàm Nilus redit ad se atque ad pristinam modi rationem à natura sibi attributam, pisces à parente fluvii decessu deserti, & aquâ destituti, in brevibus limosis ad prædam agricolis relinquuntur. Atque hæc piscium Ægyptiis ceu messis quædam est.* Hæc *Ælianus*.

§. 3. Nili imaginem hâc parte refert stagnum in Carniola ad metropolim Laubach, sesquimilliaris quaquaversum spatio, cubitorum aliquibus in locis xviii. profunditate, montibus undiquaque cinctum. Spatium hoc singulis annis sub autumni finem aquis repletur è cavernis terræ ad montium radices erumpentibus, magnámq; piscium copiam secum vehentibus. Appetente autem vere, omnis evanescit aqua, iisdem hausta cavernis quibus primùm reddita erat. Locus igitur aquis destitutus & ab accolis cultus tam frugum est ferax quàm piscium antè fuerat. Tandem verò peractâ messe avium aliarúmq; ferarum eodem in loco copia materiem venandi uberrimam præbet. Ità uno anno triplex commodum unus locus exhibet, piscationem, messem, venationem: Quod in tota quoq; Ægypto Nili ope contigit. Stagnum describit *Ortelius* in Goritia.

§. 4. Non verò solis Ægyptiis ad satietatem pisces subministrat Nilus, sed & exteris, ad quos saliti deferuntur; *Diodorus Siculus*, lib. 1. Unde Νειλῶα ταρίχη, *Nilotica salsamenta*, apud *Lucianum*.

§. 5. Nilo familiares pisces *Strabo* memorat, Lepidotum, Coracinum, Porcum, Phagonum, Silurum, Citharum, Alosam. Alii abundare eum scribunt Cephalis & Sardellis, qui sapidissimi sunt intumescente & crescente Nilo, cadente verò insalubres & limum olentes. De Crocodilorum & Hippopotamorum copia & natura in specie disseremus.

§. 6. Inter rariores Nili incolas sunt Homines aquatiles, seu monstra aquatilia humanâ figurâ admiranda: qualia circa Domini annum 592 sunt conspecta. *Menâ* enim Præfecto unà cum populo deambulante intra Delta, exorto Sole, in medio flumine apparuerunt vir & fœmina: Vir pectore ingenti, vultu terribili, comâ rasâ, ad lumbos usq; denudatus. Fœminæ exstabant mamillæ, cum vultu prorsus muliebri, prolixâ cæsarie. Visa hæc monstra ad nonam usq; horam ab omni populo: De quibus ad *Mauritium* Imperatorem rescripsit *Menas*. Autor est *Theophanes Isaurus Abbas*. Hujusmodi marina mulier capta est anno 1403 in Hollandiæ lacu, & Harlemum delata multos vixit annos, quæ fila colo deducere, aliisq; multis ministeriis muliebribus defungi didicit, muta tamen ad finem usque. Anno Christi 1526 in Phrisia captus quoque vir marinus barbatus & capillatus, qui vitam ad annos aliquot cùm produxisset, peste tandem exstinctus est.

CAP.

CAPUT XV.

Crocodili Etymologia & Somatologia.

Animantia Nili maximè miranda, Crocodilus & Hippopotamus, §. 1. *Crocodili in Nilo maximi: & unde dicantur*, 2. *Crocodilus similis lacerto*, 3. *Crocodili magnitudo. Caret linguâ; ejus rostrum, Cauda, Dorsum, Venter, Ungues, Ingressus, Oculi*, 4.

§. 1. Specialem unius atq; alterius Niloticæ bestiæ descriptionem jam aggrediamur. Inter omnes verò quas Nilus gignit & alit bestias duæ principatum obtinent, *Crocodilus & Hippopotamus*, adeò frequentes & familiares Nilo ut bestiæ appellentur Niloticæ. *Philo* in lib. De præmiis & pœnis appellat Νείλου ἀνθρωποβόρα ζῶα. Utramq; ergò bestiam hoc loco describere ab instituto nostro alienum non fuerit. A Crocodilo oriri libet.

Capita descriptionis Crocodili sequentia erunt; 1. Etymologia, 2. Somatologia, 3. Physiologia, 4. Arithmologia, 5. Philologia, 6. Echthrologia, 7. Tropologia hieroglyphica.

§. 2. Crocodili etiamsi in aliis quoq; majoribus fluminibus & maribus reperiuntur, nuspiam tamen majores vel plures sunt quàm in Nilo: unde quasi propriæ Nili bestiæ censentur. Nomen habet hæc bestia παρὰ τὸ δειλαίνειν τοὺς κρόκας vel κρόκον, hoc est, *à formidine lapillorum littoralium* vel *croci*. Niloticus enim & aquatilis Crocodilus ad lapillorum littoralium, quos κρόκας appellant Græci, leviter strepentium contactum expavescit: animal naturâ timidum, quod, *Æliano* autore, πέφρικε τοὺς κτύπους πάντας, *omnem strepitum horret*. Et lupi, si credimus *Oro*, maximè lapides extimescunt, & suspenso semper incedunt gradu cùm per loca gradiuntur lapidosa. Vide *Mizaldum*, in Catalogo 6 Antipath. & Sympath. Terrestris verò Crocodilus, qui aquam non ingreditur, Crocum aversatur, adeò ut alvearia croco oblita non attingat, etsi mellis est appetentissimus. Sic mel in sylvis adversùs Crocodilos defendunt Ægyptii.

§. 3. Ab Etymologia ad Somatologiam progredimur. Non est inter animantia terrestria nobis nota ullum quod ad ad Crocodili figuram propiùs accedat quàm Lacertus, quem Crocodili epitomen non ineptè dixeris. Unde *Marcus Mantua Benavidius* Crocodilum *Nili lacertam* appellat, Polymath. lib. 4. cap. 4. Lacertum *Crocodileum*, *Cardanus*, Subtilit. libr. 10. etsi indole plurimùm differunt.

§. 4. Est ergò Crocodilus animal quadrupes, terrâ pariter & flumine infestum. Magnitudine plerunq; excedit duodeviginti cubita, secundùm *Plinium*. Sex tamen & viginti quoq; cubita æquare dicitur *Æliano*, libr. 17. cap. 6. adeò ut duo cameli boum instar juncti tergis impositum ægrè gestare possint; *Martyr*.

Estq; tantò magìs hoc mirandum quòd ex minimis initiis in tantam excrescat molem. Excluditur enim primùm ex ovo quod anserini magnitudinem non excedit. Unde *Plinius*, l.8. cap. 25. *Nullum animal ex minori origine in majorem crescit magnitudinem*. Πάντων, inquit *Herodotus* lib. 2. τῶν ἡμεῖς ἴδμεν θνητῶν τοῦτο ἐξ ἐλαχίστου μέγιστον γίνεται.

Unum ex omnibus animalibus terrestribus Linguæ usu caret. Superiori maxillâ mobili morsum imprimit, stipante se dentium serie pectinatim, quos sexaginta habet. Alii tamen tot habere dicunt quot dies annus habet; *Achilles Tatius*.

Rostrum ipsi acutum & prælongum. *Rictus* tam patens ut integram buculam possit excipere; *Scaliger* Exerc. 196. §. 5. Pulchra sunt *Achillis Tatii* verba; Τὸν ἄλλον χρόνον, παρ' ὅσον οὐκ ἔχαινε τὸ θηρίον, ἡ κεφαλή· ὅταν δὲ χάνῃ πρὸς τὰς ἄγρας, ὅλος στόμα γίνεται, hoc est, *Quamdiu bellua non hiat, caput totũ est: dum verò ad prædam capiendam hiat, os totum fit.*

Caudam trahit, cujus longitudo reliquum æquat corpus. Eâ nautas bestiásq; de Nilo bibentes implicatos, tractos, deturbatos, mersos vorat; *Scaliger*. De cauda Crocodili itá scribit *Pierius Valerianus*, libr. 29. *Crocodilus simulac animal aliquod ceperit, caudæ opera utitur ad exanimandum. Eâ enim captivum vincit, ac mox plectendo conficit: vis siquidem omnis ac omne Crocodili robur in cauda situm.* Assentitur *Martyr*, Legat. Babylon. l. 3. *Camelum*, inquit, *equum, juvencum, & quodcunq; genus quadrupedis ei occurrit, cùm in terram famelicus exit Crocodilus grandior, ictu caudæ adeò acriter ferit ut illud cruribus fractis prostret ac demum interimat. Tanta est enim illius caudæ vis ut fregisse quatuor uno ictu grandioris animalis crura repertus sit aliquando.* Dignum quoque memoratu est quod de cauda scribit *Achilles Tatius*, libr. 4. *Cauda*, inquit, *longa, crassa, solidoq; corpori similis, dissimilis aliorum animalium caudis: osse enim uno, quæ spinæ finis ac natium pars est, constat, asperis in superiore parte acuminibus, ut sunt serræ dentes, referta, quâ flagelli loco in capienda præda utitur: illâ enim feras, quibuscum pugnat, percutit, multáque uno ictu vulnera infligit.*

Dorsum universum squammosum est, tantâ cutis duritie ut contra omnes ictus invicta sit. *Itá validam*, inquit *Marcellinus*, *cutem gerit ut ejus terga cataphracta vix tormentorum ictibus perforentur.*

Nonnulli eam agnoscunt duritiem ut etiam falconettorum ictibus resistat.

Ventrem verò mollem habet nullóq; negotio vulnerabilem.

Unguibus quoq; armatus est tenacissimis, quibus prehendit & tenet quicquid obvium sit. *Præter hiatum oris*, inquit *Solinus armatus est etiam unguium immanitate.*

In progressu hoc quoq; prorsus singulare habet;cùm à Nilo longiùs abit,aliâ regredi viâ nescit quàm per ea vestigia quæ in arena egressus signavit. Itaq; cùm descendisse Crocodilum Nili accolæ è vestigiis agnoscunt,fossam in semita profundam effodiunt, ramísq; superimpositis arenâ contegunt, ad occultandas insidias. Inde per vestigia Crocodilum quæritant, & repertum strepitu ac lituorum sonitu in fugam versum insequuntur. Dum igitur priora repetit vestigia fugitivus,in foveam incautus delabitur & capitur;*Martyr*

Non habet unde recrementa egerat nisi per os.

Oculos habet suillis similes, è capite prominentes & emissitios. Visus ei in aqua hebes, extra aquam acerrimus.

CAPUT XVI.

Crocodili Physiologia & Arithmologia.

Crocodili Ortus ex ovo, §. 2. *Incrementum*, 3. *Partium proprietates*: *Carnis*, 4. *Corii*, 5. *Sanguinis* 6. *Fellis*, 7. *Corporis totius*, *Seminis*, 8. *Adipis*, 9. *Dentium*, 10. *Lacrymarum*, 11. *Excrementorum*, 12. *Ἀντιπάθεια cum homine*, 13. *Crudelitas Crocodilorum apud Ombitas*, *Coptitas & Arsenoitas*, 14. *Versutia Crocodili in struendis homini insidiis*, 15. *Crocodili mitescunt per septem dies ceremoniosos*, 16. *Sub Cairo innoxii*, *suprà infestissimi*, *& cur*, 17. *Quid* Crocodilinæ *apud* Quintilianum, 18. *Modus explorandi fœtum genuinum*, 19. *Zelotypia*, 20. *Arithmologia*, 21.

§. 1. HActenus Crocodili Somatologia. Ad Physiologiam transimus, quâ singulares quasdem bestiæ hujus affectiones persequemur, quæ ortum, incrementum, partium quarundam proprietates, ἀντιπάθειαν cum homine, versutiam in struendis insidiis, rationem explorandi fœtum genuinum, & zelotypiam concernunt.

§. 2. Ortum quod attinet, prodit immanis hæc bestia ex ovo quod anserino majus non est. Editur id à fœmella non in aquis, sed in continenti, calidóque sabulo fovendum & excludendum committitur. Ovis tamen quæ numero plurima edit, alternis vicibus continuò assident, dum catuli animentur & excludantur. Cúmque futurum Nili incrementum mirabili quadam sagacitate præsentiscat, ovis suis in sublimem locum, ubi ab aquis tuta sint, maturè translatis cavet, & futuri incrementi Nilotici mensuram Ægyptiis quasi designat, ut suprà meminimus, cap. 7. §. 33.

§. 3. De incremento bestiæ hujus scribunt autores, perpetuò eam dum vivat crescere. In cujus effati veritatem subtilis est inquisitio *Scaligeri* Exercit. 196.§.7. *Quærendum*, inquit, *an illa sententia vera sit quæ è Plinio recitatur*, *Quamdiu vivat perpetuò crescere Crocodilum. Cui rei cùm contradicere nequeamus, arcessenda ratio est. Dicamus igitur omne ens finitum esse*, *idque actu*, *non solùm potestate. Respondebunt, augmenti vitæque eundem esse finem; viventi autem augmenti non esse finem. Hæc pervicacia subtiliori demonstratione debellanda est. Vita est à calore & humido naturalibus, à quibus est incrementum: Ergò si moritur,id humidi fit defectu: Non crescit igitur antequam moriatur: si semper cresceret*, *nunquam morte naturali solveretur.* Hactenus *Scaliger*. *Plinium* quoq; oppugnat autoritate *Aristotelis*, ex 2. De generat. animal. ἐστὶ γὰρ πᾶσι τοῖς ζώοις πέρας τοῦ μεγέθους.

§. 4. Ad partium proprietates pergimus. Ingrata palato est Crocodili Caro, nec expetitur nisi deficiente cibo commodiore. Olim tamen in Apollinis civitate, quò injurias à *Typhone Osiridi* illatas ulciscerentur, de Crocodilo vesci lege singuli tenebantur. Certo igitur die solebant convenire, & quotquot cepissent Crocodilos, interfectos ante templum, in rei bene gestæ monumentum ac testimonium, prosternere, inde epulari; *Pierius Valerianus*, lib. 29. Hoc tamen seculo qui Floridam incolunt in deliciis habent Crocodilorum carnes.

§. 5. Corii *cinis* ex aceto partibus quas secari opus est illitus omnem scalpelli sensum auferre dicitur; *Plinius*, libr. 28. cap. 8. Simili virtute præditus memoratur lapis Memphites in Ægypto, qui ad Memphin seu Cairum reperitur, calculi magnitudine, pinguis versicolórque; *Dioscorides*. Alius ab hoc lapis videtur esse quem Nilus gignit, ὃν ἐὰν ἴδωσι χῆνες οὐκ ὑλακτοῦσι, *Herodotus*.

§. 6. Sanguis claritatem visûs inunctis donat, & cicatrices oculorum emendat; *Plinius*, ibid. *Galenus* tamen medicaminis hujus periculum facere non est ausus, lib. 10. De simpl. medic. facult.

§. 7. Felle inunctis oculis ex melle contra suffusiones nihil utilius prædicant; *Plinius*, ibid.

§. 8.

§. 8. Corpus, excepto capite pedibúsque, elixum manditur ischiadicis, tussimque sanat veterem præcipuè in pueris; *Plinius* ibid. Semen eundem in usum commendat *Galenus*, lib. 7. De facult. simpl. medic.

§. 9. *Adipem* ad gangrænas optimum tradunt, *Scaliger*, Exercit. 196. §. 5. Vulnera etiam inveterata sanat; *Marcus Mantua*, Polymath. lib. 4. cap. 4. Eo tactus pilus defluit; *Plinius*, lib. 8. cap. 8. Febricitantes hoc adipe pertingunt Ægyptii; *Plinius*, ibid. Fertur quoque inter Crocodilos impunè enatare, qui adipe eorum se perunxerit; quod factitâsse *Firmum* Ægyptii tyrannum, qui oppressus est ab *Aureliano*, testimonio *Aurelii Festivi*, *Vopiscus* tradit. Hinc Crocodilorum venatores olim felle & adipe Crocodilino se perunxerunt; *Plinius*, lib. 32. cap. 5.

Fides ut tantò faciliùs habeatur, exemplum simile, quod paucis notum esse arbitror, hîc annotabo, in œconomorum & villicorum potissimùm gratiam: Vulpeculam animal anseribus infestissimum esse omnibus notum est; ità tamen conciliari iis potest ut sine ullo damno inter eos versetur: Si nempe ova anserina pilis vulpinis imposita ab incubante ansere excludantur, dein vulpinum jecur in pulverem redactum inspergatur cocti & comminutis ovis, quibus recens exclusi anserini pulli solent cibari & educari. Cum anseribus ità exclusis & educatis visæ sunt vulpeculæ quasi cicures & mansuetæ sine ulla noxa ambulare. Simile quid de gallinaceis refert *Plinius*, lib. 18. cap. 20. Quidni igitur credibile sit quod de Crocodilis memoravimus?

§. 10. Dentibus Crocodilinis inflicta vulnera aiunt esse immedicabilia; *Diodorus Siculus*, lib. 1. *Pierius Valerianus* lib. 29. Etsi pluribus in locis remedia præscribit *Plinius* adversùs Crocodilorum morsus. *Galenus*, De theriaca cap. 10. scribit demorsis à Crocodilo crocodilinum adipem summè conferre. Caninos Crocodilorum dentes thure repletos adversùs febres commendat *Plinius*, lib. 28. cap. 8.

§. 11. Lacrymæ Crocodili tantæ perhibentur esse acredinis ut ossa in quæ incidunt dissipent. Memorabile hanc in rem documentum affertur; Scribunt humanum caput à Crocodilo ob crassitiem & duritiem ossis non posse devorari: Cùm verò persentiat medullam, hoc est, cerebrum, cranio subesse, lacrymas in id effundere, quarum vi suturæ protinus dissipentur: inde medullam exsorberi à truculentissima bestia: Abiere hinc in proverbium *Lacrymæ Crocodili*, quæ non à commiseratione sed ab immanissima crudelitate proveniunt.

§. 12. Excrementum quoque Crocodili in pretio est, quam *Crocodileam* vocant. Et primùm quidem suavem ejus odorem esse perhibent, terrestris præsertim, qui floribus odoratissimis vivit. Unde *Plinius* ait lib. 28. cap. 8. diligentissimè intestina ejus exquiri jucundo odore referta. Idem Crocodileam oculorum vitiis utilissimam prædicat. Faciei quoque maculas tollere nitoremque reddere dicitur: hinc fuco muliebri olim inservit. *Antiphanes*, apud *Clementem Alexandrinum*, 3. Pædagog. κροκοδείλων ἀποπάτοις χρώμεναι, *Crocodilorum excrementis utentes*, nempe ad fucum. *Galenus*, lib. 10. De simpl. medicam. facult. *Terrestrium Crocodilorum*, inquit, *stercus pretiosum effecere mulieres deliciosæ, quibus non est satis quòd alia medicamenta sint tam multa, quibus faciei cutis & tensa & splendens efficitur, quin etiam adjungant stercus Crocodilorum.* Nec artificium hoc Poetæ ignorârunt: *Horatius*, Epod. lib. Od. 12.

——— ——— *Neque illi*
Jam manet humida creta, colorque
Stercore fucatus Crocodili,

Ovidius 3. De arte amandi,

Pallida purpureis tingat sua corpora virgis,
Nigrior ad Pharii confuge piscis opem.

Piscis Pharius Crocodilus est, sic dictus ab Ægypti insula Pharo.

Dignum sanè patellâ operculum. Dignæ namque bestiarum excrementis videntur, quæ seipsas formare & pingere satagunt, non contentæ dotibus à Creatore in humanam naturam collatis. Quales pleræque illæ sint, è sequentibus *Alberti Magni* conjicere est, qui lib. 24. De animal. ità scribit, *De stercoribus Crocodili meretrices faciunt unguentum, quo rugas faciei extendunt: sed tota facies deteriùs in pristinas convertitur rugas.*

§. 13. Hactenus partium proprietates. Sequitur ἀντιπάθεια ejus cum homine, quæ crudelissima hostilitas est quam in hominem exercet, humanarum carnium suavitate illectus. Unde *humani corporis avidissimum* esse scribit *Plinius*, lib. 6. cap. 20. Eadem humanarum carnium suavitas ingluviem quoq; Americanorum, qui nihilo Crocodilis humaniores sunt, ad ἀνθρωποφαγίαν irritat.

§. 14. Apud Ombitas, Coptitas, & Arsenoitas Nili accolas tanta Crocodilorum est immanitas ut tutum non sit vel pedes in flumine lavare, vel aquam haurire, vel ripis inambulare; *Ælianus*, De animal. lib. 10 cap. 24. Idcirco canes istis in locis & alibi, ubi frequentior truculenta hæc bestia, præ metu festinanter & in transcursu bibunt, nè fortè moram aliquam trahentes corripiantur à Crocodilis; *Ælianus*, lib. 6 cap. 53. Natum hinc proverbium, *Canis ex Nilo bibens*, quod in eos jactatur qui rem aliquam perfunctoriè & quasi in transcursu tractant. Scribit quoq; *Leo*, in aliquibus Africæ locis incolas ex urbibus prorsus fuisse pulsos à Crocodilis.

§. 15. Mi-

§. 15. Miram Crocodili versutiam in struendis homini insidiis produnt scriptores. Ex longinquo cùm aquatores adventantes prospicit, virgultis caput implicatus & tectus ad littus adnatat, & sub iis latitat donec satis propinquum viderit aquatorem, in quem tandem ex insidiosis istis virgultis prorumpit, & violento raptu interceptum necat & devorat; *Ælian.* lib. 5. c. 23. Vide similes Crocodilorum Peguanorum, quos plebs superstitiosa in urbis alit fossis, insidias, apud *Gothardum Arthus*, Orient. cap. 37. Quandoque sub limo se abscondit, & ex eo incautos aquatores invadit, & dentibus prehensos in flumen trahit; *Martyr*, lib. 3. Legat. Babylon. Aliud insidiarum genus recenset *Ælianus* lib. 12. c. 16. In via, quâ novit ad fluvium descensum esse, vel aquandi vel equos camelósve potandi gratiâ, aquam noctu, quam plenis buccis hauserit, effundit, idque sæpius, ut locum reddat lubricum & facilem ad animalis lapsum: simulátque verò labi videt vel hominem vel bestiam, protinus in jacentem insilit. Singulari quoque stratagemate navigantes adoritur: Cùm enim sub decrementi Nilotici tempus adverso Nilo navigantes videt, navim adscendentem latenter sequitur, donec nautam toto corpore conto incumbentem viderit: tum ex insidiis prorumpit, & valido caudæ ictu contum excutit, ut in flumen nauta præcipitetur, excusso corporis fulcimento: præcipitatum rapit & devorat; *Petrus Martyr*.

§. 16. *Etsi verò truculentissima hæc bellua est, attamen quasi pacto fœdere quodam castrensi*, verba sunt *Ammiani Marcellini* lib. 22. *per septem ceremoniosos dies mitescit, ab omni sævitia desciscens, quibus sacerdotes Memphi natales celebrant Apis*, Videatur & *Plinius* lib. 8. cap. 46. *Solinus*, cap. 35. *Octavo*, inquit, *die, peractis ceremoniis, velut redditâ sæviendi licentiâ, solitam resumunt atrocitatem*.

Possint hæc forsan fabulosa videri. Certius & compertius est quod plurimi tradunt scriptores, & inter hoc *Scaliger*, Exercit. 196. §. 5. *Sub Cairo aiunt esse Crocodilos innoxios, suprà infestissimos*. Causam non vidi qui redderet præter *Martyrem*, Legat. Babyl. lib. 3. ubi ex relatione Ægyptiorum geminam adducit, utramque satis probabilem. 1. Inter urbem Cairum & mare mirum in modum piscibus abundat Nilus, propter maris viciniam. Cùm igitur escâ illic abundent Crocodili, ferè intra fluminis alveum & ripas se continent, nec stimulante fame ad terrestrem prædam quærendam adiguntur. Qui verò superiores Nili partes frequentant Crocodili, cùm fame sæpiùs urgeantur ob piscium inopiam (ad superna enim multos transire & inferiorum Crocodilorum voracitas & piscatorum multitudo non patitur) terrestris prædæ sunt avidiores, & longè crudeliùs in obvios quosvis sæviunt, longiúsque à littoribus evagantur. 2. Inter Cairum & mare Crocodilis à piscatoribus plurimæ struuntur insidiæ, ad quas præmiorum spe invitantur. Qui enim Crocodilum grandiorem in urbem attulerit, decem aureos è fisco accipit. Itaque & pauciores in illo tractu Crocodili sunt, & longiùs à littoribus progredi metuunt, ob periculi præsentiam & frequentiam. Obiter & hoc addimus, noxiores & truculentiores esse Crocodilos cùm ad alveum Nilus rediit, quia ostia Nili tum magìs sunt arenosa, & ob aquarum humilitatem minor piscium è mari adscendentium copia.

Longè mitiores sunt Crocodili Brasiliani, qui *Jacarè* illis appellantur, non modò non noxii, sed ità etiam cicures ut cum pueris colludant: Quorum candida & optimi saporis caro est, *Gaspar Ens*, Histor. Ind. Occid. lib. 3. cap. 20.

§. 17. Occasione insidiarum Crocodilinarum in mentem mihi venit præcepti cujusdam quod futuro oratori præscribit *Quintilianus*, Instit. lib. 1. c. 16. quo *exquisitis ambiguitatibus* eum *exercendum* monet, *non quia Creatinæ aut Crocodilinæ possint facere sapientem, sed quia illum nè in minimis quidem oporteat falli*. Quæritur hîc quid per *Crocodilinas* intelligat Rhetor. Ex loci circumstantia patet, sermonem intelligi ambiguum parúmque explicabilem, eúmque dilemmaticum, vel qui dilemmatis intricati & insidiosi vim contineat, quas *exquisitas ambiguitates* *Fabius* appellat. Nominis rationem ex autoribus hanc eruimus; *Crocodilina* à *Crocodilo* dicta est, qui (ut Ægyptiacæ habent fabulæ) mulieri, cujus filium secundùm fluminis ripam ambulantem abstulerat, redditurum se dixit filium, si, effétne redditurus nec ne, verum responderet. Negavit illa fore ut redderetur, atque ob id æquum aiebat reddi. Hæc *Doxopater* Græcus *Aphthonii* enarrator, quem *Angelus Politianus* laudat Cent. 1. Miscell. cap. 55. *Lilius Gyraldus*, dialogismo 5. Vide & *Brodæum*, Miscell. lib. 1. cap. 3. Græcus autor *Crocodiliten* appellat. Petita hæc dubio procul sunt ex *Luciani* dialogo, qui *βίων πρᾶσις* inscribitur: Quem Græcè loquentem audiamus: Agoretes, Ὦ τῆς ἀγχινοίας, τί δ' ἄλλο μάλιστα ἐπίστασαι; Chrysippus, Τῶν λόγων πλεκτάνας, αἷς συμποδίζω τοὺς προσομιλοῦντας, (En tibi descriptionem Crocodilinæ.) καὶ ἀποφράττω, καὶ σιωπᾶν ποιῶ, φιμὸν ἀτεχνῶς αὐτοῖς περιτιθείς. ὄνομα δὲ τῇ δυνάμει ταύτῃ ὁ ἀοίδιμος συλλογισμός. Agor. Ἡράκλεις, ἄμαχόν τινα καὶ βίαιον λέγεις. Chrys. Σκόπει γοῦν. ἔστι σοι παιδίον; Agor. Τί μήν. Chrysip. Τοῦτο ἤν πως κροκόδειλος ἁρπάσῃ, πλησίον τοῦ ποταμοῦ πλαζόμενον εὑρών, κᾆτά σοι ἀποδώσειν ὑπισχνῆται αὐτό, ἢν εἴπῃς τἀληθὲς ὅ, τι δέ-

δοκ]

δοκεῖ) περὶ τῆς ἀποδόσεως τοῦ βρέφους· τί φήσεις αὐτὸν ἐγνωκέναι; Agor. Δυσαπόκριτον ἐρωτᾷς· οὐκ ἔχω γὰρ ὁπότερον εἰπὼν, ἀπολάβοιμι· ἀλλὰ σὺ πρὸς Διὸς ἀποκρινάμενος ἀνάσωσαί μοι τὸ παιδίον, μὴ καὶ φθάσῃ αὐτὸ καταπιών.

Sanè argutum hoc sophisma, quod mutatis personis solvendum proposuit *Casparo Scoppio Thomas Rhædus* Britannus in Pervigilio Metaphysico Mercurii, dilemm. 3. ubi debitâ quâdam reverentiâ *Scopphum à Munster*, funestam illam sacri belli tubam, & fœdissimum Apostatam, *seculi decus* in Priapeiis primùm salutat. Dilemma hujusmodi est; Mulier captiva Tyranno libertatem spondenti, eâ duntaxat conditione, si quid verè de sua dimissione diceret, *Neutiquam*, inquit, *me demittes*. Quid hic tyrannus agat, nè pactum violet? Si dimittat, legi non satisfacit, quia mulier tunc verè locuta non fuisset: si retineat, injustus est, quia retinet vera locutam. Græcis alio quoque nomine idem sophisma *πρίων*, hoc est, *serra*, appellatur. Patere hinc existimo naturam Crocodilinæ, cui ansam præbuit insidiosum animal, Crocodilus.

§. 19. Sequitur, in Physiologia, Crocodili ratio explorandi fœtum genuinum: De qua ità *Ælianus*, lib. 9. cap. 3.

Crocodili cùm ex sese pepererunt, hoc experimento legitimum à spurio internoscunt, ut si quid catulus, simulatque exclusus est rapuerit in reliquum tempus in Crocodilini generis numero locóque à parentibus ducatur: sin ignavia eum ipsum tardaverit, ad comprehendendam alicunde aut muscam aut lumbricum, aliámve bestiolam aut lacertulam; eum parens tanquam à se degenerantem nihilque ad se pertinentem lacerat. Atque videntur ut ad Solis radios Aquilæ suorum ingenuitatem experiuntur, sic celeri alacritate prædam capiendi Crocodili: κρίνει, subjicit, οὐ πάθει τὰ ἔκγονα φιλοῦσι. Istam catulorum degenerum lacerationem nonnulli ad *ἀστοργίαν* Crocodilorum referunt, & ad omnes Crocodilorum catulos extendunt: utì *Jacobus de Vitriaco*, Histor. Hierosolym. lib. 3. cujus hæc sunt verba, *Exclusi pulli statim fugiunt eum tanquam hostem, quos enim rapere potest, statim glutit & deverat.*

§. 20. Denique insignis quoque Crocodili zelotypia & amor erga comparem prædicatur. Cùm enim fœmellam masculus trucidatam videt, è vestigio cædis autorem insequitur, & tanto furore eum aggreditur ut aut occidat aut occidatur: Quod eleganti historiâ comprobat *Martyr*, Legat. Babyl. lib. 3. sub finem.

§. 21. Hactenus Physiologia Crocodili. Sequitur Arithmologia, quam appellamus singularem quandam sexagenarii harmoniam, quæ in bestia hac observatur. Vitam enim producit in annum sexagesimum; Singulis annis jejunat diebus sexaginta in latibulis; Ventrem fert dies sexaginta; Ova parit sexaginta; Catulos excludit post diem sexagesimum; Vertebras in spina habet sexaginta, nervos sexaginta, dentes sexaginta: *Aelianus*, lib. 10. cap. 21. *Arist.* lib. 5. de hist. animal. Propter sexagenarium numerum cum Sole Crocodilum conveniri scribit *Iamblichus* de myst. Ægypt.

CAPUT XVII.

Crocodili Philologia.

Philologia *quo sensu hic accipiatur*, §. 1. *Amici Crocodili Ombitæ, Coptitæ, Arsenoitæ*, 2. *Felices olim se prædicabant quorum infantes à Crocodilis devorati essent*, 2. 3. *Crocodilus dormit juxta vetulam*, 4. *Trochilus Crocodilo amicus*, 5. *Merita Trochili in Crocodilum*, 6, 7, 8.

§. 1. FUit Arithmologia Crocodili. Sequitur ejusdem Philologia: Quam hoc loco, bonâ cum pace Philologorum, *amicorum recensionem* interpretor, vocis vim potiùs quàm receptam significationem spectans. Sunt autem amici Crocodili Homines vel Bruta.

§. 2. Ex Hominibus amici Crocodili sunt Ombitæ, Coptitæ, & Arsenoitæ, à quibus divino honore afficitur, propter similitudinem quam cum aquis habet; *Ælianus*, lib. 10. cap. 24. Fovetúrque ab iis in paludibus manufactis, & capitibus hostiarum alitur proprio nomine compellatus; Ælianus, lib. 10. cap. 21. Τρέφεται σιτίοις καὶ κρέασι καὶ οἴνῳ, προσφερόντων αἰεὶ τῶν ξένων τῶν ἐπὶ τὴν θέαν ἀφικνουμένων, hoc est, *Nutritur pane, carne & vino, quæ peregrini semper adferunt ad hujusmodi spectaculum venientes*; *Strabo*, lib. 17.

Mirum certè tam ferocem beluam ità cicurari humanâ industriâ posse ut proprio nomine appellata se sistat. Exemplum occurrit simile, quod non minùs habet admirationis. Occidentalis Indiæ provincia est Nicaragua, in cujus lacu prægrandes pisces reperiuntur, quos *Manatos* à pinnis manum repræsentantibus Hispani appellant. Longitudo est 35 ped. crassitudo 12 ped. capite & caudâ bovem referunt, pedes elephantum pedibus similes. Ex hisce piscibus Rex Nicaraguæ *Caratumtius* pusillum cepit, & in lacum regiæ vicinum abjecit, qui micis pa-

nis nutritus tam cicur factus est, ut *Marto* (quod generositatis nomen) inclamantibus ad manus illico venerit, & cibum ex iis sumserit. Subinde in terram & ædes egressus cum pueris lusitavit, & octo vel decem tergo susceptos per lacum vexit; *Gaspar Ens*, Histor. Occident. Ind.lib.4. & 3. c. 8. Fidem facilè conciliaverit historia hæc narrationi *Plinianæ* de Delphino, lib. 9. c. 8. In insula Oceani Atlantici Tercera boves omnium in toto orbe maximi propriis nominibus singuli ab heris nominantur, & hominum instar internoscuntur, ità ut si in numeroso grege aliquem herus proprio nomine appellet aut provocet, dicto citiùs ad vocantis heri locum se proripiat; *Gothardus Arthus*, Hist. Ind. Orient. cap. 6.

In hanc verò de animalium solertia historiam quando incidi, liceat mihi unum adhuc & alterum memorabile exemplum proferre. In sinu Persico Bassora civitas est, inter cujus mercatores & Babylonios frequentia sunt literarum commercia: cúmque vastis solitudinibus discludantur, & tabellionum uti operâ non possint, columbas habent ministras, in hunc usum assuefactas, ut literas hinc inde transportent. Has columbas ex Bassora Babylonii, & ex Babylonia Bassorenses ad se delatas in obscuro columbario concludunt, ut diurnæ lucis expertes degant: quarum operâ cùm uti volunt, literas ad annulos ex columbarum cruribus pendentes solido nexu applicant, & nuncias columbas extra urbis portam ad certum intervallum delatas dimittunt, quæ appensas sibi literas brevi temporis spatio Bassoram vel Babyloniam ad pristinum hospitium perferunt; *Arthus*, Hist. Ind. Orient. cap. 21. Hoc nunciorum genus etiam in Turcia hodie non est infrequens: olim Romanis quoque usitatum, ut patet ex *Plinio*, lib. 10. cap. 37. Cornicem habuit *Marres* Ægyptiorum Rex, quæ regias literas deferebat, & nutu quò deferendæ essent intelligebat; *Ælianus*, De animal. lib. 6. c. 7.

In urbe *Memphi* aviculæ aluntur cicures, quæ officium exhibent in sortibus peragendis: edoctæ enim diligenti observatione ex urnis opertis obseratisque singula ordine extrahunt syngrapha, quæ legenda & publicanda offerunt ei cujus id munus; *Leo Africanus*.

Miranda quoque corvorum in Regno Chinensi industria est: Magnates Regni Chinæ prægrandes corvos alunt, quos piscibus capiendis assuefaciunt; quibus colla laxiore nodo ità constringunt ut libera quidem sit respiratio, cibi tamen transmittendi facultas nulla. Hi è caveis emissi extra urbem volant, & admirabili solertiâ in aquas immersi pisciculos minutos ore comprehensos, majores, rostro apprehensos domum unde evolârunt, identidem referant, piscatione tam continuatâ, donec saturatâ omni familiâ, solutis tandem faucibus, ad satietatem piscibus allatis vesci permittatur.

Ad Crocodilum jam redeamus.

§. 3. Tam verò deploratæ sunt amentiæ infelices homines ut, si infantem forte crocodilus comprehenderit & devorârit, felices hoc nomine se æstiment, quòd Deo escam genuerint & educaverint; *Volaterranus*, lib. 25. Pertinet huc quod *Maximus Tyrius* scribit, serm. 38. *Crocodili*, inquit, *olim catulum alebat mulier Aegyptia, quam felicissimam Aegyptii judicabant, tanquam Dei nutricem: simulque nutrici & alumno blandiebantur: (* προσεθρύπτοντο καὶ αὐτὴν τὴν τρόφιμον *) Filius erat mulieri, qui necdum ex ephebis excesserat, æqualis Deo quocum adolescere & unà lusitare consueverat; quod non malè ipsi successit, dum pro corporis imbecillitate cicur videretur Crocodilus; postquam verò adoleverat, ad ingenium rediit, & puerum voravit.* Ibi δύστηνος Αἰγυπτία ἐμακάριζε τὸν υἱὸν τοῦ θανάτου, ὡς γενόμενον δῶρον ἑστίῳ θεῷ, hoc est, *Infelix mulier filii sui morte gaudebat, tanquam beatissimi, quòd domestici Dei factus esset victima.* Videatur & *Alexander ab Alexandro*, lib. 6 c. 26.

Gratior aliquantò erga hospitem fuit Aspis Ægyptiaca, quæ cùm ad mensam cujusdam Ægyptii aleretur assiduè, enixa est catulos, quorum ab uno filius hospitis est interemptus. Revertitur illa ad consuetudinem cibi, & intellectâ culpâ necem infert catulo, nec posteà in tectum id revertitur; *Plinius* ex *Philarcho*, lib. 10. c. 74.

§. 4. Erat & illa, Ægyptiorum corrupto judicio, felicissima vetula, cui ità Crocodilus assueverat, ut juxta dormientem in mollissimo grabato decorè porrectus sterteret; *Plutarchus*, De solertia animalium.

Hâc tempestate Crocodili cultus exspiravit apud Ægyptios. Illibatus tamen is servatur apud Peguanos Indiæ Orientalis populos, qui in civitatis fossa, ad Ombitarum, Coptitarum & Arsenoitarum exemplum, multos alunt Crocodilos, è singulari superstitionis zelo; etsi dies non abit quin homines alioqui ab illis corripiantur & devorentur: quorum sortem tantùm abest ut deplorent infelices isti, ut potiùs maximopere discerptis & devoratis gratulentur & gaudeant. Namque certo certiùs salvari putant quotquot à Crocodilis devorantur; *Gothardus Arthus*, Ind. Orient. cap. 37.

§. 5. E Brutis maximè favet Crocodilo Trochilus, avicula (ex *Scaligeri* descriptione, Exercit. 196. §. 5.) candida, turdi magnitudine, cristata, plumâ acutâ, plicatili, quam surrigit, ut belluæ palatum figat, si claudatur intus. Avem palustrem nominat *Aelianus*: cujus varia quidem sunt genera, non tamen

men omnia Crocodilo amica, sed solum illud quod *cladarorynchum* nominant; *Ælianus*, lib. 12. c. 65.

§. 6. Duplici verò nomine optimè de Crocodilo mereri & ab eo amari dicitur Trochilus: Uno, quòd os esculentum dentésque ipsi purget, & ab hirudinum ori adhærentium molestiâ liberet. Qua de re naturalium rerum scriptores audire libet. *Aelianus*, lib. 3, c. 11. ità refert, *Crocodilo inter natandum hirudines in os incidunt, eique molesti sunt: quod cùm sentiat, Trochilum medicum desiderat. Plenus igitur hirudinibus ad littus progressus adversus Solis radium os diducit: Unde Trochilus, rostro in fauces ipsius inserto, hirudines extrahit: quod facillimè patitur Crocodilus, quia auxilium sibi fieri sentit. Ità fit ut Trochilus hirudinibus prandeat, Crocodilus adjuvetur. Plinius* lib. 8. c. 25. ità scribit, *Crocodilum saturum cibo piscium, & semper esculento ore, in littore somno datum parva avis invitat ad hiandum, pabuli sui gratiâ, os primùm ejus assultim repurgans, mox dentes, & intus fauces quoque ad hanc scabendi dulcedinem quàm maximè hiantes.* Non minùs eleganter idem ità exprimit *Ammianus Marcellinus*, lib. 22. *Trochilus avicula brevis, dum escarum minutias captat, circa cubantem feram volitans blandè, gingivásque ejus irritatiùs titillando pervenit ad usque visam viciniam gutturis.* Ante omnes hosce idem scripsit *Aristoteles*, lib. 9. Histor. animal. cap. 6.

§. 7. Accidit autem hæc Trochili opera tantò gratior Crocodilo, quia linguâ destitutus purgare sibi fauces vel dentes ipse nequit.

§. 8. Et altero beneficio sibi demeretur Crocodilum Trochilus, dum de Ichneumonis insidiis ipsi cavet, somnóque obrutum excitat, ut imminens periculum evitet: De quo ità *Aelianus*, lib. 8. c. 25.

Gratus Crocodilo est trochilus, ejusque dormientis curam suscipit, proque ipso vigilat. Jacenti enim illi ac stertenti insidiatur Ichneumon, & sæpe jugulo apprehenso strangulat. Eo conspecto Trochilus clamat, & Crocodilum, cui nasum ferit, excitatum adversùs hostem instigat. Similia habet *Plinius*, *Ammianus Marcellinus*, & alii. Existimat *Aelianus* hanc Trochili naturam esse vituperandam, quòd voracissimæ noxiæque belluæ tam providam gerat curam.

CAPUT XVIII.

Crocodili Echthrologia.

Crocodili hostes in Natura vel Magia, §. 1. *Hostes ejus Homines & Bruta*, 2. *Tentyrita*, 3. *Crocodili & Tentyritæ à Romanis in theatra introducti*, 4. *Cur Tentyritas fugiant Crocodili*, 5. *Captus Crocodilus & os obligatus jacet immotus, etiamsi liberos habet pedes*, 6. *Hostes Crocodili è brutis*, 7. *Ichneumon*, 8. *Delphini*, 9. *Colubri*, 10. *Scorpius*, 11. *Ibis*, 12. *Faba Aegyptia*, 13. *Ars magica adversùs Crocodilos*, 14.

§. 1. HActenus Crocodili Philologia: Sequitur Echthrologia, seu recensio inimicorũ: Quos habet in Natura vel Magia. In Natura, inter Animalia vel Plantas.

§. 2. Animalia Crocodilo inimica sunt Homines vel Bruta.

§. 3. Inter Homines infestissimos hostes habet Tentyritas, qui incolæ sunt Tentyræ, insulæ Nili in Ægypto. Juxta quam Insulam Nilus à Crocodilis ità est liber ut fidenter ibi natatio & inter natandum lusus exerceri possit; *Aelianus* lib. 10 c. 24. Solos verò Tentyritas Crocodili, qui omnes mortales hostiliter persequuntur, formidant, adeò ut vel ex odore eos præsentiscant & fugiant, ipsorúmque insulâ abstineant, quia vinci ab iis & trucidari metuunt. Digna sunt observatu *Plinii* verba, l. 8. c. 25. *Gens hominum est huic belluæ adversa in ipso Nilo, Tentyritæ, ab insula in qua habitat appellata. Mensura eorum parva, sed præsentia animi in hoc tantùm usu mira. Terribilis hæc contra fugaces bellua est, fugax contra insequentes: sed adversùm ire soli hi audent. Quinetiam flumini innatant, dorsóque equitantium modo impositi, hiantibus resupino capite ad morsum, additâ in os clavâ, dextrâ & levâ tenentes extrema ejus utrinque, ut frænis in terram agunt captivos, ac voce etiam solâ territos cogunt evomere recentia corpora ad sepulturam. Itaque uni ei insulæ Crocodili non adnatant, olfactúque eius generis hominum, ut Psyllorum serpentes, fugantur.*

Seneca de Tentyritis hæc habet, lib. 4. Quæst. nat. cap. 2. *Ultrò insequuntur Crocodilos, fugientésque insecto trahunt hamo.* Consentit *Strabo* lib. 17. Sanctis tamen, si vera sunt quæ *Metaphrastes* habet, vectores ultrò se obtulerunt Crocodili: Fertur enim *Pachomius Abbas* Nilum trajecisse absque navigio, dorsum submittente Cocodilo. *Heleno* Crocodilum inequitanti ad Nilum trajiciendum bestia jubenti toties adfuit quoties eam evocavit. Nisi forsan inter veritates Monasticas hæc referenda

Etiam *Minas* Rex, cùm proprii canes eum persequerentur, in *Mœridis* lacum profugisse, inque ulteriorem

riorem ripam à Crocodilo delatus dicitur: qui, ut pro salute gratiam referret, juxta ripam civitatem condidit, & à Crocodiliis appellari, ipsósque Crocodilos ab incolis divinis honoribus affici voluit: in alimentum verò ipsam paludem obtulit; *Marcus Mantua*, Polymath. l. 4. c. 4. Ex hac ἀντιπαθείᾳ Crocodilorum & Tentyritarum, nata quoq; ἀπεχθεια inter Ombitas, Crocodilorum amicos, & Tentyritas, eorundem hostes: De qua *Juvenalis*, Satyr. 15.

Inter finitimos vetus atque antiqua simultas,
Immortale odium & nunquam sanabile vulnus
Ardet adhuc Ombos & Tentyra. Summus utrinq;
Inde furor vulgo, quòd numina vicinorum
Odit uterque locus, cùm solos credat habendos
Esse Deos quos ipse colit.

§. 4. Eandem ἀπέχθειαν Crocodilorum & Tentyritarum in suas olim delicias verterunt Romani. Cùm enim ad spectacula Romam essent allati Crocodili, Tentyritæ eos sequebantur. Parabatur Crocodilis piscina uno in latere perforata, ut ex aqua in apricum egredi possent: Adhibebantur Tentyritæ, qui eos interdum rete in aquam ipsi intrantes educebant in locum aprication destinatum, ut à spectatoribus cerni possent: aliàs rursum eos in piscinam retrahebant; *Strabo*, lib. 17.

§. 5. Cur verò tam immanis & indomita bellua tantillùm formidet & fugiat hominem, ut ab eo se trahi & interfici patiatur, cùm omnes alios mortales persequatur, non immeritò quæritur. Existimat *Seneca*, *non generis aut sanguinis proprietate à Tentyritis* Crocodilos superari, *sed contemtu saltem & temeritate. Crocodilus enim*, inquit, *fugax animal audaci, audacissimum timido. Plinius*; *Terribilis hæc contra fugaces bellua est, fugax contra insequentes*; *Ammianus. Audax Crocodilus monstrum fugacibus; ubi audacem senserit, timidissimum. Ælianus*; Τοῖς εὐθαρσέστερον ἐπιοῦσιν ἐρρωμένῃ ἰσχυρῶς.

Factus hinc symbolo locus, *Gloria Crocodilus*; *Vives*, in Satellitio animæ. Eadem enim propemodum Crocodili & gloriæ indoles: Qui enim timidi gloriæ obvertunt terga, plerunque sordescunt inglorii: qui verò frontem audaces obvertunt, etiam fugientem assequuntur & sibi mancipant, secundùm illud *Laurentii Rodomanni*,

Θάρσος ἐπεὶ φορέει κλέος ἀνδράσι, φύζα δ' ἔλεγχος.
in Periochis in Q. *Calabrum*.

Interim de Tentyritis pertinaciter non negaverim, latere aliquid in ipsorum temperamento quo ἀντιπάθεια ità foveatur.

§. 6. Vulnera Crocodilis cùm intentant Tentyritæ, oculos, axillas, & ventrē petunt, quia his partibus facillimè vulnerantur, reliquis propemodum invulnerabiles. Reliqui Ægyptii olim ingentibus & validis hamis eos capiebant, longissimo fune ad ripam Nili arbori commisso, hamóque verveci inserto, quo prædæ avidus sese induit Crocodilus; *Scaliger*, Exerc. 196 §. 5. Hoc seculo plerunque validis retibus constringuntur, & globis trajiciuntur. Est & hoc memorabile; Captus Crocodilus & os obligatus, jacet immotus, nec aufugit, quamvis liber cætera. Metus, nisi fallor, fugæ consilium ac præsidium excutit. Quod & hominibus contingit ingenti & subitaneo metu perculsis, quo & meliora impediuntur consilia & corpori torpor ac stupor inducitur. *Sic clausæ cassibus feræ*, inquit *Latinus Pacatus*, in Paneg. *quæsito diu exitu desperatóq; consistunt, & præ timore non fugiūt.*

§. 7. Hactenus inimici Crocodilorum Homines. Sequuntur Bruta iisdem infesta. Sunt ea, Ichneumon, Delphinus, Coluber, Scorpius, Ibis.

§. 8. Ichneumone capitaliorem hostem nullum habet Crocodilus. Animal hoc est magnitudine felis, specie muris, Ægypto familiare, datum huic regno in pœnam Crocodilorum, quibuscum internecinum bellum gerit. Cùm enim dormientem & os diducentem videt Crocodilum, instar teli per fauces ejus patentes se immittit, & alvum erodit; *Plinius* lib. 8. c. 25. *Stertenti insidiatur, & sæpe jugulo apprehenso strangulat*; *Ælianus*, lib. 8. c. 25. *Oris aditum penetrat alitc prævia patefactum, & populato ventre, vitalibus delancinatis, erumpit*; *Ammianus*, lib. 22. Nec contentus vivos Crocodilos interemisse, persequitur etiam antequam vivant. Ova enim in sabulo deposita studiosè perquirit & conterit, nullâ suâ utilitate, (nec enim comedit ea) sed solâ naturâ duce, ad necessariam quondam mortalium commoditatem.

Hâc Crocodilorum persecutione divinos honores apud Heracleotas Ichneumon meretur; *Strabo*, l. 17.

Existimant nonnulli Ichneumonem in ventre Crocodili suffocatum exspirare, & sic vitæ suæ dispendio Crocodilum occidere. Quod si ità se haberet, typus hic naturalis CHRISTI foret, qui morte quoque suâ infernalem Crocodilum, ipsámque mortem à qua absorptus fuerat, interemit.

§. 9. *Delphini* quoque infestis prœliis concurrunt cum Crocodilis. Pugnandi & præliandi modum egregiè describit *Seneca*, lib. 4. Quæst. natural. cap. 2. *Babillus*, inquit, *virorum optimus, omni literarum genere rarissimus, autor est, cùm ipse præfectus obtineret Ægyptum, Heracleotico ostio Nili, quod est maximum, spectaculo sibi fuisse Delphinorum à mari occurrentium, & Crocodilorum à flumine adversum agmen agentium, velut pro partibus, prœlium: Crocodilos ab animalibus placidis morsúque innoxiis victos. His superior corporis pars dura & impenetrabilis est etiam majorum animalium dentibus,*

at inferior mollis ac tenera: hanc Delphini spinis, quas dorso eminentes gerunt, submersi vulnerabant, & in adversum emersi dividebant. Recisis hoc modo pluribus, cæteri velut acie versâ refugerunt. Hactenus *Seneca*. Similia habet *Plinius*, lib. 8.c.25. Forsan hoc nomine ab Ægyptiis Delphini coluntur, & *Neptuno* voventur, teste *Tertulliano*.

Causam ἀντιπαθείας inter Delphinos & Crocodilos hanc putat esse *Pierius Valerianus*, lib.27. quòd Delphini genuino quodam & naturali affectu sint humani generis amatores, cujus infensi hostes sunt Crocodili: unde ista naturæ repugnantia inimicitias inter ipsosmet generat.

§. 10. Colubri etiam in aquis degentis species est infesta Crocodilis. Ejus enim adipem & fel habentes qui Crocodilos venantur, mirè adjuvari dicuntur, nil contrà belluâ audente; *Plinius*, lib. 32.c.5.

§. 11. Præterea Scorpius & Crocodilus genuino quodam inter se odio flagrantes, simulátque alter alterum inspexerit, in mutua vulnera sponte rapiuntur, ambóque eâdem dimicatione perimuntur. Unde mutuas hostium cædes olim indigitantes Ægyptii Sacerdotes, Scorpium & Crocodilum pingebant; *Pierius Valerianus*, lib. 16. Est tanto admirabilior hæc ἀντιπάθεια, quòd è Crocodilo putrefacto dicantur nasci Scorpii: *Antigonus* in Congerie narrationum mirabilium, φασὶ τὸν κροκόδειλον σκορπίους ζωογονεῖν. Ubi ad testimonium citatur *Archelaus*, Ægyptius quidam Epigrammatographus, cujus distichon, Ἐξ ὑμᾶς κροκόδειλον ἀποφθίμενον διαλύει Σκόρπιοι, ἡ πάντα ζωοθυτοῦσα φύσις.

§. 12. Denique Ibis quoque Crocodilis inimica est. Pennæ enim ejus Crocodilis si admoventur, protinus obtorpescunt; *Pierius Valerianus*, *Ælianus*, Hist. animal. lib 10. cap.30.

§. 13. Fuêre Bruta Crocodilis infesta. Inter Plantas Crocodilis adversatur Faba Ægyptia, quæ in Nili littore nascitur; *Plinius*, lib. 18.c.12. Potamogeton; idem, lib.26.c.8. & lib. 32.c.5. Crocus; *Cælius Rhodiginus*, Lect. antiq. lib.15.c.21.

§ 14. Hactenus Crocodili hostes naturales. Olim verò cùm nimiùm infestaret Ægyptum Niloticæ hæc bestia, artes quoque Magicæ adversùs eam sunt imploratæ. In Ægyptiorum enim & Arabum libris scriptum est, autore *Scaligero*, Exerc. 196.§. 6. à priscis sapientibus Ægypti, qui Magi fuerunt, adversùs Crocodilorum maleficia signum Crocodili plumbeum fuisse conformatum, & in cujusdam templi fundamentis infossum. Id verò inventum *Humethaben Thaulon* Ægypto præfectum igni dissolvi jussisse, & ab eo tempore conquestos indigenas Crocodilis infestiores factas regiones.

CAPUT XIX.

Crocodili Tropologia Hieroglyphica.

Crocodilus inservit Ægyptiis ad varia mysteria indigitanda, §. 1. *Fuit hieroglyphicum Dei,* 2 *Ortûs, & Occasûs,* 3. *Mortis,* 4. *Rapacitatis, Salacitatis, Furoris, Latrocinii, Helluationis,* 5. *Hominis ex obscuris natalibus ad summas dignitates evecti,* 6. *Invicti,* 7. *Nili, & Ægypti,* 8.

§. 1. TAndem historiam Crocodili Tropologiâ Hieroglyphicâ concludimus. Priùs tamen quid Hieroglyphici & Hieroglyphica sint, ex D. *Cyrillo* annotare non abs re fuerit: *Aiunt* inquit, *fuisse ænigmatum artifices inter eos qui idolis serviebant, & ad hoc magnâ industriâ & gravitate præditos, quos illi nominare solent Hieroglyphos, qui templis & obelis scripturas insculpebant, non vulgaribus utentes literis, sed aliis figuris rerum naturas effigiantes, arcanam quandam prudentioribus scientiam augebant*, lib. 9. contra *Julian*. Exemplis ad institutum nostrum facientibus rem deinceps declarabimus.

Inserviit ergò veteribus Ægyptiis ad varia indigitanda mysteria & proponenda ænigmata Hieroglyphica. E quibus insigniora sunt sequentia.

§. 2. Crocodilus Ægyptiis *Dei* imago fuit, quòd solus inter animalia elinguis munus Divinitatis repræsentaret: In *Pythagoræ* enim symbolis habetur, linguam imprimis esse coercendam ut Deum imitemur. Alius effatum est, *Deo proximum esse, qui ubi ratio postulat tacere novit*; quia Deus sub alto profundóq; silentio omnia mortaliũ facta examinat, próq; re, tempore & loco singula moderatur. Deos etiam quosdam silentii cultu prosequi olim moris erat. Hujusmodi est quidam Ægyptiacâ linguâ *Icheon*, cujus mentionem facit *Abammon Ægyptius* in Epistola ad *Porphyrium*, cujus vel interpres vel autor à nonnullis putatur *Jamblichus*. Ipse certè *Porphyrius*, in libro περὶ ζώων ἀποχῆς, multis contendit, etiam summum Deum silentii cultu prosequi par esse. Quam ob causam Ægyptiorum sacris *Harpocratem* adhibitum putat *Angelus Politianus*. Nec à Scripturis prorsus aliena hæc sententia: Sic enim David Psalmo lxv.2. לְךָ דֻמִיָּה תְהִלָּה אֱלֹהִים, *Tibi silentium, laus, Deus:* Etsi דֻמִיָּה ab aliis aliter accipi non ignoro.

Visi etiam sunt oculi Crocodili nonnihil divinitatis præ se ferre, quòd pelliculâ tenui & pellucidâ à fronte demissâ obteguntur, videndi;; officio funguntur cùm tamen eo minimè fungi videantur. Ità Dei oculum perlustrare & intueri omnia, ipsa dictat ratio

&

& loquitur res, etiamsi nequaquam eum cernere, & nostratia explorare profanum vulgus opinatur.

§. 3. *Ortum* idem significabat Crocodilus, quia nullo parentum incubitu fomentóve formam & lucem acquirit, & Solis instar per seipsum exoritur ovis terræ gremio commissis.

Occasum etiam humi toto profusus corpore delineatus indicabat, quia latibulis gaudet, noctúque aquas subit.

§. 4. *Mortem* designabat pictura *caudæ*, quâ, quicquid comprehendit exanimat, ut suprà notavimus.

§. 5. Erat præterea Hieroglyphicum, I. *Rapacitatis inexplebilis*; qui plurimæ rapinæ animal est. II. *Salacitatis*; quia abundanti fœturâ prolificus est, & libidinis usq; adeò contagiosæ, ut è dextera ejus maxilla dentes lacerto dextero alligati nequitiam credantur stimulare: cui augendæ etiam aliæ ejus partes inserviunt, autoribus *Dioscoride* & *Plinio*. III. *Furoris*; quia irritâ spe prædæ frustratus in seipsum furere perhibetur, supra modum indignabundus. IV. *Latrocinii*; quia negotiatoribus qui Nilum frequentant assiduè insidiatur. V. *Helluonis*; quia voracissimum animal est.

§. 6. *Ovum* Crocodili & juxta id pictus Crocodilus hominem notabant qui nullâ sanguinis claritate minimisq; principiis ad amplissimas dignitates & opes evectus esset: nullum enim animal è tam parvis initiis in tantam crescit magnitudinem.

§. 7. *Tergus* Crocodili invictum adversùs omnem ictum, *invicti* Hieroglyphicum erat.

§. 8. Denique *Nili* quoque & *Ægypti* imago Crocodilus in æreis & argenteis Romanorum nummis fuit. Unde *Augustus*, Ægypto in provinciam redactâ, nummos cudi voluit in quibus Crocodilus catenâ ad palmam religatus viseretur. Hactenus de Crocodilo.

CAPUT XX.

Hippopotami descriptio & natura.

Describitur Hippopotamus, §. 1. *Calliditas ejus in depascenda segete*, 2. *Hieroglyphicum horarum*, 3. *Solertia in secanda vena*, 4. *Arundines Niloticæ*, 5. *Impietas in patrem*, 6. *Sculpta Hippopotami ungula in Regum sceptris*, 7. *Prædandi studium*, 8. *Ejus capiendi ratio*, 9.

§. 1. ALtera Nili bestia insignis est *Hippopotamus* seu *Equus fluviatilis*, Ægyptiis quoq; Νείλου ἵππος appellatus; *Achilles Tatius*, lib. 4. aliis *Elephantus Ægyptius*. Quem ità describit *Plinius*, lib. 8. c. 25. *Major altitudine in eodem Nilo bellua Hippopotamus editur, ungulis bifidis, quales bubus, dorso equi, & jubâ, & hinnitu, rostro resimo, caudâ & dentibus aprorum aduncis, sed minùs noxiis, tergore ad scuta galeásque impenetrabili, præterquam si humore madeat.* Paulò aliter describitur à *Diodoro Siculo*, lib. 1. *Magnitudo haud minor cubitis quinque, quatuor pedibus, ungulâ more bovis fissâ: dentes ex utroque latere tres habet ultra reliquas feras eminentiores, aures, caudam, vocem equis similem; reliquum corpus haud dissimile elephanto: pellis est ultrà quàm cæteris belluis durissima: aquatilis & terrestris bestia.* Non insuper habenda descriptio *Achillis Tatii*, lib. 4. Ἔστι μὲν ἵππος τὴν γαστέρα καὶ τοὺς πόδας, πλὴν ὅσον ἐν χηλῇ σχίζει τὴν ὁπλήν· μέγεθος δὲ κατὰ βοῦν τὸν μέγιστον, οὐρὰ βραχεῖα καὶ ψιλὴ τριχῶν, ὅτι καὶ τὸ πᾶν τοῦ σώματος οὕτως ἔχει. κεφαλὴ περιφερής, οὐ σμικρά. ἐγγὺς ἵππου παρειαί. μυκτὴρ ἐπὶ μέγα κεχηνώς, καὶ πνέων πυρώδη καπνόν, ὡς ἀπὸ πηγῆς πυρός. γένυς εὐρεῖα, ὅση καὶ παρειά. μέχρι τῶν κροτάφων ἀνοίγει τὸ στόμα. ἔχει δὲ καὶ κυνόδοντας καμπύλους, κατὰ μὲν τὴν ἰδέαν καὶ θέσιν ὡς ἵππος, τὸ δὲ μέγεθος εἰς τριπλάσιον. Similia habet *Solinus*, cap. 35. Videatur & *Scaliger*, Exercit. 187. §. 2. *Leo Africanus* ait, Nilum hisce belluis refertum esse, quæ formâ equum, magnitudine asinum, depiles tamen, repræsentant. Pictura ejus apud *Gesnerum* videatur.

Dentes ejus candore & splendore ebori pares, & præstantiores, eò quòd, ut ebur, nunquam pallescant, amisso candore; *Scaliger*.

Ingens eorum copia supra præfecturam *Saiticam*; *Plinius*, lib. 28. c. 8.

§. 2. Sunt autem præter descriptionem hanc in Hippopotami historia observanda:

I. Calliditas in depascenda segete Nilo vicina: De qua ità *Ælianus*, lib. 5. c. 53. *Segetum ut maturitas venit, & flavent spicæ, non eas continuò depasci aggrediuntur, sed extrinsecùs conjecturis assequuntur quantum ad se explendos satis sit. Post talem considerationem agros ingrediuntur & pascunt. Inter pascendum verò versus Nilum cedunt, tergo flumini obverso retroeuntes: quod ideò machinantur, ut in conspectu habeant hostes agricolas, quos ante se non à tergo adfuturos expectant, quò visis iis in Nilum se citiùs possint recipere.* Hactenus *Ælianus*, qui explicat quod obscuriùs & breviùs dicitur à *Plinio*, lib. 8. cap. 25. *Hippopotamus depascitur segetes destinatione antè, ut ferunt, determinatas in diem, & ex agro ferentibus vestigiis, ne quæ revertenti insidiæ comparentur.* Videatur & *Solinus*, cap. 35. Sunt & *Ammiani* pulchra verba, *Inter arundines celsas*

&

& squalentes nimiâ densitate hæc bellua cubilibus positis, otium pervigili studio circumspectat, laxâq; copiâ ad segetes depascendas egreditur. Cúmq; jam cœperit redire distenta, adversis vestigiis distinguit tramites multos, nè unius planè itineris lineas secuti insidiatores repertam sine difficultate confodiant.

§. 3. Scribit *Horus*, ab Ægyptiis sacerdotibus per Hippopotamum Horas significari solitas esse: Rationem tamen picturæ nullam reddit. Suspicatur *Pierius Valerianus* Hieroglyphicum hoc à calliditate in depascenda segete petitum esse, quia nempe segetes hæc bestia depascit antè determinatas in diem & horas.

§. 4. II. Prudentia seu solertia in secanda sibi vena: De qua itâ *Plinius*, lib. 8. cap. 26. *Hippopotamus in quadam medendi parte etiam magister extitit. Assiduâ namque satietate obesus exit in littus recentes arundinum cæsuras speculatus: atq; ubi acutissimam videt stirpem, imprimens corpus venam quandam in crure vulnerat, atque itâ profluvio sanguinis morbidum aliàs corpus exonerat, & plagam limo rursus obducit.* Videatur & *Solinus*, cap. 35.

§. 5. Sunt hæ, nisi fallor, arundines quas *papyros* olim nominârunt, quarum juxta Nili littora & in paludibus Ægypti, in quibus aquæ Niloticæ subsistunt, maxima est copia; *Jesaiæ* xix. 6, 7. *Plinius*, libr. 13. cap. 11. *Achilles Tatius*, lib. 4. pag. 101.

Et subtiles membranulas arundinum harum *papyros* olim nominârunt: Quarum cùm ad scribendas epistolas usus cœpisset esse, non ampliùs *papyri* sed *chartæ* sunt appellatæ. Quibus inditum nomen non à Charta Tyri urbe, ut *Guillandinus* & *Pancirollus* volunt, sed à verbo χαίρειν, quod omnibus epistolis pro fronte inscribere solebant Græci; *Scaliger*.

Ægypto familiarem fuisse arguunt etiam Poetarum epitheta & aliorum scriptorum, qui chartam appellant *Ægyptiam, Memphiticam, Saiticam, Taniticam*. Apud *Ausonium*, *Melonis pagina* est *charta Nilotica*, quam *Niliacam papyrum Martialis* appellat.

Observandum tamen, ante *Alexandri Magni* tempora nullum fuisse chartæ seu papyri ad scriptionem usum: repertam enim *Alexandri Magni* victoriâ autor est *Varro*, conditâ in Ægypto Alexandriâ; *Plinius*, libr. 13. cap. 11. ubi multa de papyro. Testatur idem *Lucanus*,

Nondum flumineas Memphis contexere byblos.
Noverat: in saxis tantùm volucrésq; feræque
Sculptáq; servabant magicas animalia linguas.

Putat tamen *Guillandinus* etiam ante *Alexandrum Magnum* cognitam fuisse papyrum; sed *Alexandri* seculo in usu frequenti & publico fuisse. Nos *papyri* & *chartæ* nomina retinemus, etiamsi alia nobis materia in qua scribimus.

Alius quoq; arundinum Niloticarum insignis est usus. Succus enim earum excoctus in saccharum concrescit: unde magna quotannis sacchari vis ex Ægypto effertur; *Munsterus* in Cosmogr. *Gulielmus Baldensel*, in Itinerario. Forsan dulcissima Nili aqua ad succi istius dulcedinem haud parùm confert.

Est & earundem arundinum Niloticarum noxius abusus. Sub iis enim latrones se occultant & prædones, qui latrociniis & deprædationibus totam Ægyptum infestam reddunt. Unde veteribus decantata Ægyptiorum latrocinia & insidiæ: Δεινοὶ, inquit *Æschylus*, πλέκειν τοι μηχανὰς Αἰγύπτιοι. Et Scholiastes *Aristophanis*, Ἐλέγετο λῃστεύεσθαι ἢ Αἰγύπτιος. Idem Αἰγυπτιάζειν interpretatur ὕπουλα πράττειν. *Theocritus* in Ἀδωνιαζούσαις.

——— Οὐδεὶς κακοεργὸς
Δαλεῖται τὸν ἰόντα, παρέρπων Αἰγυπτιστί.

Hactenus arundines Niloticæ, quæ præter varios usus etiam Hippopotamo nostro salutares sunt.

§. 6. III. Impietas in patrem. Occidit enim Hippopotamus genitorem, ut coire possit cum matre; *Plutarchus*, De solertia animal. Quin & genitorem devorat. Ἀσεβέστατος ὁ ποτάμιος ἵππος, γεύεται γὰρ καὶ τοῦ πατρὸς, *Ælianus*, lib. 7. cap. 19.

Alii tamen paulò aliter de Hippopotami in patrem impietate scribunt: Nempe eum, cùm per ætatem licuerit, viribus patrem experiri, & si pugnâ superârit, sibiq; locum cedere animadverterit, matrem inire, vitâ patri concessâ. Sin verò victus pater minùs ei concubitum cum matre permittat, tum robore fretum viribúsq; patrem interimere, & matrem comprimere; *Cælius Rhodiginus*, libr. 29. cap. 26. Qualis Columbi quoq; impietas est, qui robustior factus patrem pugnando à matre fugat, ut matri ipse misceatur. Contraria in Ciconiis prædicatur pietas, quæ decrepitos parentes alunt & gestant.

§. 7. Hæc Hippopotami impietas & contraria Ciconiæ pietas occasionem præbuit elegantis Hieroglyphici depingendi; Ἐν τοῖς σκήπτροις, inquit Commentator *Aristophanis*, in Avibus, ἀνωτέρω μὲν πελαργὸν τυποῦσι, κατωτέρω δὲ ποτάμιον ἵππον· δηλοῦντες ὡς ὑποτέτακται ἡ βία τῇ δικαιοπραγίᾳ. οἱ γὰρ πελαργοὶ δικαιοπραγεῖς ὄντες ἐπὶ πτερῶν βαστάζουσι τοὺς πατέρας γεγηρακότας βαστάζοντες· οἱ δὲ ἱπποπόταμοι ζῶον ἀδικώτατον. hoc est, *In Regiorum sceptrorum parte superiori Ciconiam effingunt, in inferiori Hippopotamum: significantes subjectam debere esse vim justitiæ. Ciconiæ enim justitiæ studiosæ senes parentes alis suis gestant: Hippopotamus verò animal est iniquissimum.* Vide *Pierium Valerianum*, libr. 29. ubi sceptrum depingit, in

cujus

cujus summo caput Ciconiæ, in imo Hippopotami ungula. Indicari hoc Hieroglyphico ait impietati præferendam esse pietatem. Vide & *Cælium Rhodiginum* libr. 29. cap. 26. Idem suo quoque Principi Christiano Hieroglyphicum commendat *Erasmus*, in Institut. Principis.

§. 8. IV. Prædandi studium. Naves enim in flumine adoritur, easq; spe prædæ dorso subvertere conatur, nec ictibus deterritus abscedit, sed maleficii desperatione; *Scaliger*, Exercit. 187. §. 2.

§. 9. V. Ejus capiendi ratio: Quam hujusmodi esse tradit *Diodorus Siculus*, lib. 1. *Capitur arte quâdam hominum illos telis appetentium. Cùm enim apparet, circumstant undiq; homines vulnerántq; telorum, quæ alligant funibus, ictu, laxántque, quoad exsanguis factus capiatur.* Probabilior tamen & facilior mihi videtur belluæ hujus capiendæ ratio quam tradit *Achilles Tatius*, libr. 4. Venatores, locis quæ frequentat observatis, fossam excavant, quam arundinibus & injectâ iis terrâ consternunt, ligneâ tamen arcâ in imo positâ, cujus fores ad fossæ usq; altitudinem in parte superiori sint adapertæ. Dum ergò incautus in insidias incidit, vastâ corporis mole per arundines in fossam eique impositam cistam decidit. Id verò venatores observantes protinus accurrunt & fores claudunt: Quo pacto immani belluâ potiuntur, quæ apertâ vi difficillimè capi posset.

De partium proprietatibus, & medicamentis quæ inde petuntur, videatur *Plinius*, lib. 38. cap. 8. Hactenus Hippopotamus.

CAPUT XXI.

Animantia à Nilo exundante in agris Ægyptiorum gignuntur.

Summa agrorum Ægyptiorum fertilitas §. 1. *Mirandus animantium in agris Ægyptiorum ex aquis Niloticis ortus*, 2, 3, 4. *Possibilis hic ortus*, 5. *Mures ex aquis Niloticis orti segetem depopulantur*, 6. *Quo pacto à muribus se olim liberárint Ægyptii*, 7. *Exemplum simile*, 8. *Historia de* Hattone *Archiepiscopo Moguntio à muribus devorato recitatur & confirmatur*, 9. Serarii *Jesuitæ Moguntini contra veritatem historiæ argumenta 22 recensentur*, 10. *refutantur*, 11. *Similibus exemplis historia illustratur*, 12. *Absurda opinio de spontaneo hominum ortu*, 13.

§. 1. HActenus primum fœcunditatis aquæ Niloticæ indicium, animantium quæ intra se gignit mira copia & magnitudo: Sequitur alterum, admiranda agrorum Ægyptiorum fertilitas, quam toto Nilo exundanti acceptam fert Ægyptus. *Sterile enim in Aegypto, quicquid non attingit Nilus*; *Strabo*, libr. 17. *Martyr*, libr. 3. Legat. Babylon.

§. 2. Ferunt autem agri Ægyptii Niloticis aquis quasi animati non tantùm omnis generis fruges copiosissimas, sed & animantia mirando ortu è terra sponte nascentia. Unde *Mela*, lib. 1. cap. 9. ait Ægyptum mirè fertilem esse, & hominum aliorúmque animalium perfœcundam genitricem.

§. 3. De animalium generatione audiamus *Melam*, eodem cap. *Nilus glebis etiam infundit animas, ipsáque humo vitalia effingit. Hoc eò manifestum est, quòd ubi sedavit diluvia ac se sibi reddidit, per humentes campos quædam nondum perfecta animalia, sed tum primum accipientia spiritum, & ex parte jam formata ex parte adhuc terrea visuntur.*

§. 4. Verum hoc esse suo quoque suffragio comprobat *Plinius*, & murium exemplo ostendit, libr. 9. cap. 58. *Omnibus his, inquit, fidem Nili inundatio affert omnia excedentem miracula: quippe detegente eo musculi reperiuntur, incohato opere genitalis aquæ terræque, jam parte corporis viventes, novissimâ effigie etiamnum terrenâ.* Testis etiam *Diodorus Siculus*, lib. 1. cap. 2.

Eadem pluviarum circa Thebas Ægypti fœcunditas est: De qua *Aelianus*, libr. 2. cap. 56. *In Thebaide, cùm grandine pluit, mures in terra apparere audio, qui partim etiamnum cœnum limosum, partim jam caro exsistunt.* Repetit idem libr. 6. cap. 41. Assentitur *Macrobius*, Saturnal. 7. cap. 17. & *Basilius*, in Hexaem. homil. 9. Mirandum certè hoc: Nullâ enim re faciliùs deleri in campestribus posse mures quàm pluviis, affirmat *Aristoteles*, Histor. animal. libr. 6. cap. 37. Ità πολυπίχιλος in operibus suis Natura est, quæ iisdem causis sæpe contraria molitur.

§. 5. Hunc verò murium ortum non negabunt ii qui animalium imperfectorum ex putri materia ortum admittunt: ubi certè negari non potest & cœli & soli clementiam ac benignitatem mutuas sibi operas tradere: quorum in Ægypto circa Nilum auxilia conspirare, testis experientia locuples.

Narrat *Aelianus* se, cùm ex Italia Neapoli Puteolos iter faceret, ranas perspexisse, quarum pars anterior ad caput pertinens repebat & duobus pedibus agebatur, altera nondum conformata concretioni limosi humoris similis trahebatur; adeóque

eodem

eodem tempore pars altera vivebat, altera tellus erat. Vide quoq; *Baptistam Portam*, Magiæ natural. libr. 2. cap. 24.

Imò, quod magis mirabere, intra nostra etiam corpora è sordidis excrementis animalcula quandóq; producuntur soricibus muribúsq; non absimilia. *Lemnius* De occult. nat. mirac. lib. 2. cap. 40. & lib. 4. cap. 19. In Itali cujusdam frequenti hortensis ocimi odoratu se oblectantis cerebro scorpionem natum esse, qui post longos & vehementes dolores mortem attulit, refert *Jacobus Hollerius*. Memorat quoque *Gesnerus*, anno 1551. in Hungaria juxta Theisam fluvium, in multorum hominum corporibus serpentes & lacertos naturalibus similes esse natos, iisque circiter 3000 hominum periisse. Sed ad mures Niliacos redeamus.

§. 6. Deprecatur hanc Nili liberalitatem Ægyptus, quippe quæ post aquarum inundationem tota ferè muribus inundatur, decumanâ cum regionis calamitate. Segetem enim succidunt, & manipulorum acervos vastant, tam agiles, autore *Æliano*, ut fossas etiam transiliant, lævésque & incrustatos muros reptando superent; ità quidem ut arcendis iis nec muscipulæ sufficiant, nec septa, nec muri, nec fossæ accessum intercludant. Nostris muribus majores sunt, teste *Siculo*: éstq; pilus iis prædurus, qualis erinaceis; *Aristoteles*, Histor. animal. lib. 6. cap. 37.

§. 7. Ab hac calamitate quo pacto olim Ægyptii se liberârint, operæpretium est ex *Æliano* cognoscere, lib. 6. cap. 41. *Aegyptii, ait, spe & conatu depulsi, omni machinatione insidiarum tanquam parùm efficaci relictâ, se ad suppliciter deprecandum à DEO calamitatem vertunt. Mures, Divinæ iræ metu, in montem quempiam, aciei instructione ordinem quadrangulum conservantes, discedunt. Horum omnium natu minimi primi in ordine consistunt, maximi verò extremum agmen ducunt, & eos qui lassitudine deficiunt urgent, ac seipsos sequi cogunt. Quòd si ex itinere minimi natu laborantes subsistant, omnes quoque consequentes, ut est in more belli institutóque positum, subsistunt & interquiescunt: Simúlque se ut primi movere cœperunt, cæteri continuò omnes subsequuntur. Hoc idem qui Pontum incolunt mures illic facere dicuntur.* Hactenus *Ælianus*.

§. 8. Si vera sunt quæ ab *Æliano* memorantur de murium Ægyptiorum abactione, non videntur confecta absq; Magicis artibus, quarum olim Ægyptus erat & jam est feracissima: *Peucerus*, De incant. *Ruffinus*, Histor. Eccles. lib. 11. cap. 26. ubi Ægyptum *Magicæ artis Scholam publicam* appellat; *Baronius*, tom. 3. Annal. ad annum CHRISTI 324. num. 27. ubi ostendit per *Ægyptios* quandoq; Magos significari, uti per *Chaldæos* Astrologi. Unde & Ægyptium fuisse crediderim qui olim ex celebri Italiæ urbe simili stratagemate omnes mures, quicunq; urbem infestarent, minimos, medioximos, maximos, in montem cogere & inde præcipites dare magno hiatu promiserat.

§. 9. *Hattoni* Archiepiscopo Moguntino olim si præstò fuisset sacerdos Ægyptius, murium ab eo agmina forsan avertisset, modò ἐκλυον Θεῦ ὀυμα (quæ muris quoque apud *Homerum* verba) permisisset. Quando verò in hanc de Ægyptiis muribus, Nili & agrorum Ægyptiorum sobole, historiam incidimus, non abs re fuerit de Germanicorum quoq; murium crudelitate nonnihil inserere, & cladem ab iis *Hattoni* Archiepiscopo Moguntino illatam memorare: quæ certè minor non fuit quàm quæ Ægyptiis olim à Niliacis illata legitur.

Hatto igitur Archiepiscopus Moguntinus, circa annum CHRISTI 969. fame invalescente, ab egenis & famelicis lacessitus, immani crudelitate sub liberalitatis promissæ fuco occultatâ, in amplum quoddam horreum famelicos cogi & concludi jussit. Cúmque miseri solamen exspectarent, & ventris rabiem liberali commeatu sedatum iri sperarent, ecce immanis tyrannus flammas horreo subjici & conclusos comburi jussit. Quorum cùm ululatus & ejulatus è flammis audiisset, *En mures, aiebat, mintrantes:* **hore wie pfeiffen die Mäuse.** Sed crudelem jocum non impunè tulit. Oppressit eum non multò pòst Divina ultio. Ingens enim muriũ caterva perruptis omnium conclavium abditis hominem invasit & undecunque morsibus infestavit, ut non haberet ubi tutò quiesceret. Tandem ad turrim in medio Rheni flumine prope Bingam excitatam velut in asylum confugit, ut, à murium incursione & vellicatione tutus latitaret. Sed frustrà fuit Episcopus: Non enim minor Teutonicorum quàm Ægyptiorum murium solertia & agilitas fuit. Celeri natatu catervatim Rhenum trajecerunt, & præruptos turris muros conscenderunt, nec priùs destiterunt quàm ad *Hattonem* penetrâssent, eúmq; morsibus confecissent.

Veritatem historiæ hisce documentis approbamus, quæ recenset quoque ex parte Jesuita *Serarius*, Moguntiacar. rer. lib. 4. cap 1.

I. Testes habemus non Evangelicos tantùm, ut *Bruschium, Munsterum, Centuriatores Magdeburgenses, Theodorum, Zwingerum, Fritschium, Laubanum* & alios; sed & Pontificios, *Trithemium, Cochlæum, Genebrardum, Antonium Democharem, Catepolium, Arnoldum Vionem*. Laudant etiam Centuriatores *Marianum Scotum* & *Schafnaburgensem*. Quibus addit *Serarius* MS. anonymum. Inter recentes magni nominis scriptor Pontificius est *Simon Maiolus* Episcopus Vulturariensis, doctissi-

 mus

mus & ἱστορικώτατος, qui historicâ fiduciâ rem narrat, Dier. canicul. tom. 1. colloq. 7. testimonio usus *Sigfridi Presbyteri Misnensis*, cujus verba sunt, *Hatto Moguntinus devoratus est à muribus, nec se in castris nec insulis potuit ab iis defensare.* Addit *Maiolus* testimonium *Autoris Compilationis Chronologicæ.*

II A veteribus descriptum & à se lectum hoc ait *Trithemius.*

III. Antiquissima est traditio. *Ab incolis terræ,* inquit *Trithemius, ut à proavis percepta auditu, ad nepotes referri non ignoramus.*

IV Perenne rei hujus monumentum in medio Rheno adhuc exstat, turris Teutonibus appellata **Mäusethurn.**

V. Prope Moguntiam tumulus est **Hattenburg**, quo rei memoria conservatur. Eò enim confugerat, nè aures querimoniis pauperum obtunderentur, ut ex MS. minore docet Jesuita.

VI. *Hattonem* hunc durum fuisse hominem patet ex vita *Disibodi*, quam *Hildegardes* describit, & suffragio suo comprobat *Marianus Scotus*, anno 976. Hæc quàm frigidè diluat Jesuita *Serarius*, videatur libri allegati cap. 5.

Argumenta quæ ad historiæ fidem extenuandam & infirmandam adducit Jesuita, cap. 4. recitare & refutare libet. Formis autem syllogisticis singula illigabimus, ut imbecillitas & vanitas ad oculum patescat.

I. Ante *Trithemium* nullus est scriptor qui historiæ hujus mentionem fecerit: Ergò fides ipsi non est habenda. Sequelæ rationem reddit; Quia diligentissimi fuere priorum seculorum scriptores, *Lambertus Schafnaburgensis, Marianus Scotus, Sigebertus, Otto Frisingensis, Helmoldus, Abbas Urspergensis, Gotfridus Viterbiensis, Albertus Stadiensis*, qui nè Hattonis quidem nomen attigerunt, quòd in eo nihil memoratu dignum judicarent. Quòd si verò ejus rei quicquam exploratum habuissent, eccur in literas non retulissent? præsertim cùm nonnulli acres vitiorum censores fuerint, adeò ut quidam apud *Cæsarium*, libr. 2. cap. 28. dicat, *se omnia posse credere, sed vix in animum posse inducere, ullum Germaniæ posse salvari Episcopum.*

II. Recentiores, qui rei hujus mentionem faciunt, nihil certi asseverant, sed ad aliorum rationes provocant: imò *Trithemius* quoque fabulam appellat: Ergò ei fides non habenda.

III. *D. Gorgius Heilman* Ecclesiæ Francofordiensis Canonicus, anno 1497, ait se narrationem hanc fabulosam arbitrari, etiamsi scriptores aliquot secùs judicent: Ergò est fabulosa.

IV. *Hatto*, antequam Episcopus crearetur, Abbatiæ Fuldensi cum laude præfuit, & idcirco ab *Othone* I. Romam ablegatus & ad Archiepiscopatûs dignitatem elatus est: Tam igitur durus & crudelis in pauperes non fuit sub initia Archiepiscopatûs. Nemo enim repentè fit pessimus.

V. Principes initio erga omne hominum genus solent esse benigniores: nam

———mitissima sors est
Regnorum sub Rege novo.

Ergò ab hac immanitate *Hatto* Principatum non est auspicatus.

VI. Historici non faciunt mentionem famis & caritatis annonæ quæ tum temporis fuerit: Ergò nulla fuit, & proinde fabulosa est narratio de *Hattone.*

VII. Tumulus **Hattenburg** tribus tantùm stadiis abest Moguntiâ: Ergò in eum non confugit *Hatto*, ut à mendicorum accursu se liberaret: tantilla enim via ipsos non absterruisset.

VIII. Non est credibile sub Principatus auspicio hoc unum animo agitâsse *Hattonem*, quomodo mendicum nullum videret, & ab iis latebram sibi tutam constitueret: Falsa igitur est narratio de hoc *Hattonis* secessu.

IX. Si *Hatto* in Hattenburgico illo latitâsset, proximum sine dubio fuisset horreum, horrendum illud inauditúmque sepulcrum, ut e ulatus famelicorum audire potuerit: At hoc quis credat? Tam vecors non erat *Hatto* ut nesciret illud,

Tum tua res agitur, paries cùm proximus ardet.

X. Si *Hatto* tam fuit parcus & sordidus *Euclio*, utiq; proprium horreum non incendit: Atqui verum illud, ex sententia nostra: Ergò & hoc. Connexi ratio est; Quia cogitare poterat unius horrei pretio multa panis frustula offulásque multas esurientibus dari posse. Præterea aut plenum fuit horreum aut inane. Si plenum, nimis magnum sponte suâ detrimentum sibi accersivit *Euclio*: Si inane, quorsum factum? an ad egentes hospitio excipiendum?

XI. Si *Hatto* mures fugere voluisset, non utiq; tam procul Bingam usque profugisset, sed in Rheni insulam, quæ Moguntiæ vicina est, in qua ampla & magnifica domus exstrui poterat, se contulisset.

XII. Si murium agmina *Hattonem* sunt persecuta utique Moguntiâ Bingam usque contendentem insecuta quoque sunt, navimque aut currum simul conscenderunt, ut frustranea fuerit fuga. Præterea in turri illa ædificanda multum temporis fuisset consumtum: Ergò ædificationem ejus non mandavit *Hatto.* Quid enim interea mures? quid Episcopus? Anne induciis quasi factis cessârunt? aut mitiùs hominem tractârunt?

XIII. Si vitam contra mures tueri voluisset, utiq; in

in turrim recentissimam, cujus muri & parietes circumfusarum aquarum contactu & novitate humidi & olidi fuissent, non immigrâsset.

XIV. Si tam horrendè *Hattonem* infestâssent mures, omnes Europæ Principes ad eum certos homines misissent, qui rem certò cognoscerent & explorarent: At falsum hoc.

XV. Si à muribus tantoperè vexatus fuisset *Hatto*, pharmaca adhibuisset potiùs quàm in turrim illam confugisset.

XVI. In lustratione turris nihil apparet quod myomachiæ huic faveat: Ergò fabulosa est.

XVII. Turris istius conditor celebratur *Willigisus* versiculis quibusdam qui reperiuntur Moguntiæ in æde S. *Stephani*: Ergò autor ejus non fuit *Hatto*, qui *Willigisum* præcessit.

XVIII. *Hattonem* à muribus potuissent liberare adstantes famuli & custodes: Ergò non necesse habuit in turrim confugere. Quòd si verò non repellebant eam ob causam, quia Divinum supplicium hoc esse videbant, quomodo tot jam menses ei adstant? cum Bingam vehunt? Bingâ in turrim transvehunt?

XIX. Si tam durus & immisericors in pauperes fuisset *Hatto*, bestiæque in caput ejus & perniciem vilissimæ ex ultione Divina conspirâssent, nemo ipsi adesse & famulari ausus fuisset.

XX. Narratio continet contradictoria: Ergò falsa est. Antecedens probatur; Quia fertur à muribus devoratus, & tamen apud S. *Albanum* sepulcrum ejus demonstratur. Si sepultus, quomodo à muribus devoratus fuit: aut si à muribus devoratus, quomodo sepultus?

XXI. In epitaphio *Hattonis* nulla fit mentio hujus crudelitatis, nulla murium est suspicio; Ergò res tota fabulosa est.

XXII. Tria videntur esse fabulæ hujus incunabula: I. Vulgare turris nomen *Mausethurn*. II. Aliqua historiæ Polonicæ auditio. III. *Hattonis* nomen. Quæ ut tantò faciliùs intelligantur, observandum primò, ex sententia *Serarii* turrim illam Germanis *Mausethurn* esse appellatam, Vel quòd specula fuerit in Rheni medio exploratoria? At verò Germani eos *mausen* dicimus, qui instar catorum muribus insidiantium è specula quidpiam speculantur & explorant. Vel quòd solitaria & prorsus deserta domus fuerit, quam *murium* solemus *domum* appellare; qui in hujusmodi ædificiis impunè grassantur. Deinde, Polonicum fuisse Principem *Popielum*, qui ante *Hattonem* unà cum conjuge & filiis à muribus per aquam & flammam insequentibus fuit consumtus, ob horrendum patricidium. Veneno enim propinato patruos suos è medio sustulerat uxoris suasu, quos insepultos objici curavit: Ex illorum verò cadaveribus putrefactis prodigiosi mures enati sunt, qui parricidas consumserunt; *Martinus Cromerus*, Rerum Polonic. lib. 2. Denique, *Hattonis* nomen intelligi potuisse, quasi *Harto*, qui durus & immisericors esset. Hinc ergò fabulæ natales hunc in modum describit Jesuita. Cùm, ut fit, navi vectores colloquerentur, & unusquisque Murium turrim vocâsset, adjecit sensim alius, quam aut legerat aut certè audiverat, Polonicam narrationem. Et hanc posteà conjecit alius tertius in *Hortonem* & *Hattonem*. Hisce vulgatam de *Hattone* narrationem impugnat *Serarius*.

§. 11. Nemo, opinor, doctus negabit, omnia & singula hæc *Serarii* argumenta topica esse, & intra probabilitatis limites se continere; nullum verò demonstrativum vel necessariæ illationis esse. Itaque nec vitio nobis quisquam vertet si in contrariam sententiam inclinemus, non obstantibus Jesuitæ argumentis: Ad quæ breviter respondebimus.

Ad Im. I. Antecedens negamus. Rationem negationis ipse *Trithemius* subministrat, qui historiam hanc à veteribus descriptam ait: quod ex *Trithemio* ipse Jesuita docet. Accedit D. *Georgius Heylman*, quem ipse quoq; Jesuita laudat, qui anno 1497 scripsit, aliquos esse scriptores qui *Hattonem* asserant à muribus esse devoratum. *At enim*, inquit Jesuita, *anonymi sunt illi veteres, & manuscripti quidam*. Sit ità, *Serari*: Anne propterea impostores & nugivendi? Non contemnit manuscriptos & anonymos Jesuita, cùm ad placitum illi loquuntur, iisq; res suas Moguntiacas locupletat: Liceat igitur & nobis nostram inde sententiam firmare, & *Hattonem* inauditæ crudelitatis accusare & convincere. Est cur manuscriptos contemnamus, cùm omnes autores aliquando manuscripti fuerint, quibus nihil veritatis vel falsitatis addidere typi, nisi falsarii fortè manus accessit, uti Patrũ scripta tractare Pontificii solent? *Commenta*, inquis, *in illis sunt multa, cùm de rebus paulò à memoria remotioribus absque idoneo teste narrant*. *Resp.* Quos vidit *Trithemius*, Jesuita procul dubio nunquam vidit: cur ergò non visos, non auditos accusat, damnat? sed sint sanè aliqua in iis commenta, qualia in excusis quoque exemplaribus haud pauca occurrunt: anne illico & hæc de *Hattone* narratio commentitia erit? *Testes in manuscriptis illis idoneos desiderat*. Sed forsan & hi non defuerunt: Et si maximè defuissent, narratio tamen falsitatis ideò accusari non deberet: nisi multò maximam Historiæ partem mendacii arguas. Multa namq; sine testibus proferuntur in universa Historia: Nec possunt aliorum testimoniis muniri omnia, cùm sine consciis testibus gerãtur multa.

multa. Sed heus tu, *Serari*, quâ fronte asseris ante *Tritbemium* scriptorem fuisse nullum qui historiæ hujus mentionem fecerit? Omnésne tu *Tritbemio* priores Historicos vidisti, excussisti? Ipse certè *Tritbemius* alios ante se idem scripsisse expressè asserit, & Jesuita contradicit. Sed temerariam & falsam esse Jesuiticam assertionem evidentissimo exemplo demonstrabo. Annis CLXX *Tritbemio* vetustior est *Sigfridus Presbyter Meisnensis*, qui *Hattonem* à muribus devoratum asseveratè scribit. Verba ejus suprà sunt allegata. *Autor Compilationis Chronologicæ*, qui & ipse *Tritbemio* antiquior est, disertè scribit *Hattonem* à muribus devoratum, anno *969*, tempore famis, sub *Johanne* Papa, & *Ottone* Magno. Hactenus negatum antecedens. Tu verò, *Serari*, si in hac de *Hattone* admittenda traditione tam morosè cunctaris, ejúsque autores tam liberè repudias, anne vitio deinceps nobis vertes quòd Romanæ Ecclesiæ traditiones, quibus fidei articulos augetis & libertatem Christianam convellitis, repudiamus, in tam arduo salutis nostræ negotio, earúmque autores fidei nostræ inimicos rejicimus, non ingenio aut conjecturis sed Scripturis nixi?

2. Et consequentiam negamus: Quæ tum demum firma erit, ubi *Serarius* demonstraverit, ab Historicis, quos allegat, nihil eorum quæ ante ipsos sunt gesta fuisse prætermissum, omnia ipsos & scivisse & in literas referre voluisse, omnia veterum documenta in manus ipsorum pervenisse: nec in cujusquam rei notitiam Historicos posteriores potuisse venire in quam non venerint priores. Fortè tamen non ignota fuit nonnullis historia, neglecta tamen & non consignata, vel quòd de veritate ejus dubitarent, exaratis veterum destituti documentis, vel quòd Archiepiscopali dignitati & sanctitati contumeliosam fore narrationem putarent. Quòd verò acriores nonnulli vitiorum censores nullam ejus mentionem fecerint, sanè mirum non est, cùm ignorare potuerint: nec enim omnia novimus omnes. Nec dubito quin multi inter Pontificios sacerdotes etiamnum sint, quibus inaudita hæc de *Hattone* sive historia, ut nos contendimus, sive fabula, ut Jesuita vult. Hactenus primum & principale argumentum.

Ad IIm. 1. Antecedentis veritas catholica non est. *Tritbemium* quod attinet, ità fabulam appellat ut tamen autoritatem & fidem ei non ausit derogare, manuscriptis adactus documentis, & traditione à majoribus ad nepotes profecta. Patétque ex contextu, magìs ad assensum quàm dissensum inclinare *Tritbemium*. 2. Et consequentiam negamus: quæ tum demum firma erit, si demonstraverit Jesuita, omnia fabulosa esse quæ ab Historicis ex aliorum relatione scribuntur: Hæc enim consequentiæ ratio erit. Certè hærebit hîc Jesuita. Quis enim temporum non suorum historiam condit, qui ex aliorum relatione omnia vel pleraque non scribat?

Ad IIIm. Consequentiam negamus: Ad quam demonstrandam Jesuitæ probandum incumbit, omnia esse fabulosa quæ D. *Georgius Heylmam* fabulosa judicavit.

Ad IVm. 1. Antecedens dubiæ veritatis est, & assertioni quoque Jesuiticæ contradicit. Ait enim *Serarius* argumento suo primo, Historicos *Tritbemio* priores nè nomen quidem *Hattonis* attigisse, quia de eo quod memoratu videretur dignum nihil occurrit. Anne verò res memoratu digna non est, cum laude tam illustri Abbatiæ præesse, & Archiepiscopalem infulam promereri. Interim tamen impetrata Archiepiscopalis dignitas argumentum minùs efficax est ad asserendam *Hattonis* hujus innocentiam ac probitatem, cùm nè Pontificia quidem dignitas, quâ majus in hisce terris nihil esse credunt Papicolæ, tam firmis innocentiæ claustris sit munita quin perruptis iis ad fastigium ejus nonnunquam extollantur quibus intestinum cum innocentiâ & pietate bellum. Exempla sint *Alexander* VI, *Paulus* III, *Sylvester* II, *Benedictus* IX, *Johannes* XIII, *Clemens* VIII, *Gregorius* VII, *Johannes* XIX, XX, XXI, *Sergius* IV, *Benedictus* VIII, X, *Leo* IX, *Stephanus* II, & plures alii, quibus innocentiæ testimonium nè Pontificii quidem scriptores audent perhibere. In mentem veniat Jesuitæ, quod ex *Cæsario* allegavit, *Omnia possum credere*, &c.

2. Consequentiam quoque negamus. Potuit enim animi virus tantisper compescere donec vi armatus majore tutiùs & liberiùs posset effundere. Potuit Abbas concepisse quod Archiepiscopus peperit monstrum: ut non repentè sed per gradus evaserit pessimus. Nec certum esse arbitror, sub ipsa Archiepiscopatûs auspicia immane hoc facinus ab ipso patratum, quando tertio demum Episcopatûs anno à muribus infestatus perhibetur; ut verisimile sit, non primo aut secundo sed tertio Episcopatûs anno famelicos & pauperes horreo conclusos ac flammis absumtos esse. Nec enim crediderim magnum respirandi spacium tyranno à vindice Dei manu concessum esse. Sed faciamus inter initia Episcopatûs hoc facinus designatum, & manifestas tantæ crudelitatis notas in *Hattone* antè exstitisse nullas: Quid inde? Nunquámne flagitium commisit, qui multis antè annis id præmeditatus non sit, nullúmque ejus indicium præmiserit?

Ad Vm. 1. Consequens nullo causæ nostræ damno admittere possumus, ut ex Resp. ad Argum. 4m. patet. 2. Antecedens universale non est. Solet quidem interdum esse mitissima sors Regnorum sub Rege

novo: Fuere tamen nonnunquam & aspera Regnorum sub novis Regibus initia. Exemplum *Rhebabeami* unum instar omnium esse possit, 1 Reg. xii. Turcicorum Imperatorum auspicia nonne plerunq; sunt cruenta? Nec nisi paucorum Tyrannorum initia laudant Historiæ. Recentiora exempla non attingam.

Ad VI^m. Consequentiam negamus. Probandum igitur Jesuitæ incumbit, nihil ab Historicis, quorum ad nos scripta pervenerunt, esse prætermissum quod ante ipsos contigerit, iis saltem annis quos historiæ ipsorum attingunt. Hærebit hîc aqua.

Ad VII^m. Negamus consequentiam. Intra ejusdem enim urbis ambitum videmus ædium alias magis alias minùs à mendicis infestari. Quid ni igitur sperare potuerit *Hatto* se extra urbem tutiorem fore à mendicorum incursu, cùm pleriq; ad urbes convolent mendici, ad loca verò abstrusiora pauci penetrent? Et sanè faciamus stultam fuisse hanc *Hattonis* secessionem: quid tum postea? Stultum & ipsum fuisse si inferas, non contradicemus. Novimus enim, ex Tragœdi sententia, quòd mentem Deus auferre soleat iis quos ad pœnas trahit. Forsitan ea fuit hominis dementia quæ *Struthiocameli*, qui capite occultato à nemine se conspici posse sperat. Faciamus etiam in hac loci circumstantia à posterioris ævi scriptoribus non nihil erratum: Totáne Historia in fabulam protinus abibit? Historiæ sunt longè verissimæ, in quibus circumstantiæ particulares sæpenumerò fallunt.

Ad VIII^m. 1. Antecedens nullius est necessitatis. Quidni enim caritatis famísque invalescentis occasio crudeles hasce cogitationes ipsi potuerit suggerere, si Principatûs auspicia caritas annonæ tanta excepit? Rationem quoque, etsi perversam, in consilium ab ipso adhibitam fuisse memorat *Trithemius*; *Hatto*, inquit, *fertur tempore famis magnam multitudinem pauperum mendicantium in uno horreo concremâsse, quasi ipsi inducerent famem super regionem suam mendicitate & otio; volens in hoc consulere tam eorum inopiæ quàm utilitati communi.*

2. Et consequentia nullius est momenti. Multa enim incredibilia nobis accidunt, quæ tamen illico falsa & fabulosa non sunt: Nisi velit Jesuita admittere, pleraque Romanæ Ecclesiæ dogmata esse falsa & fabulosa, quia nobis ea incredibilia videntur.

Ad IX^m. Quæ, quæso, connexi necessitas est? Nonne poterat è suo latibulo aliquousque progredi immanis *Phalaris*, ut miserorum exaudire posset ejulatus? Deinde non video cur assumtio falsitatis arguatur. Tam enim propinquum poterat esse horreum ut ex secessu suo ejulatus audiret & nihilominus ab incendio tutus latitaret, dispositis nempe hinc inde ministris, qui flammas evagantes opprimerent & longiùs progredi prohiberent.

Ad X^m. 1. Assumtio falsa est. *Hattonem* fuisse parcum & sordidum *Euclionem* pro certo non affirmamus: Immanem verò fuisse tyrannum dicimus, qui pauperum ejulatus audire non sustinuerit, & alimenta iis negaverit, quæ liberali forsan manu aliis præbuerit. Maluit igitur flammis eos absumi quàm querimoniis ipsorum aures sibi obtundi: quæ diabolica fuit immanitas.

2. Connexum quoque nullum est. Solent enim quandoq; avari contra propria sua commoda laborare, & ex quadam dementia & præcipitantia majoris commodi jactura exiguum quæstum redimere.

At, inquis, *cogitare poterat unius horrei pretio multa panis frustula & offulas multas esurientibus dari posse.* At verò, inquam ego, cogitare quoque poterat multa illa frustula & offulas à famelicis citò absumi posse, & dein ipsos redituros prioresque querelas & molestias instauraturos. Semel igitur omni molestiâ defungi, ipsósque reditu prohibere, & tristi eorum fato alios absterrere voluit immanis tyrannus. Forsitan exigui quoque pretii fuit horreum, cujus incendio, non sine quæstu, eleemosynas numerosas potuerat redimere, in tanta præsertim annonæ caritate.

Quæris porrò *plenum an inane fuerit horreum*. Respondeo, inane fuisse crediderim, propter annonæ raritatem & angustiam. *Quorsum ergò factum*, inquis: *Anne ad egenos hospitio excipiendum? Resp.* Miror hominis hujus acumen. Nullúmne unquam inane repertum est horreum quod ad egenos hospitio excipiendos factum non fuerit? Atqui singulis annis evacuari videmus horrea, quæ tamen ut egentium receptacula essent non facta novimus.

Ad XI^m. Nulla connexi necessitas est. Cur enim in Rheni insula Moguntiæ vicina non substiterit, causæ, meo judicio, potuerunt hæ esse. I. Quòd ne insulas quidem à muribus tutas judicaret. Tam enim insulis quàm continente gignuntur mures. Testis Gyarus insula, è qua incolas expulêre mures, *Æliano* autore. Etsi verò in ædificiis quoq; nasci hæc animalcula consueverunt, frequentior tamen in campis, ubi multa materies putrida, eorum est ortus. II. Quòd ad insulam Moguntiæ vicinam facilè hostes suos appellere posse crederet. Et quis nescit ad insulam faciliùs enatari pedémque figi posse quàm ad turrim in mediis undis collocatam. III. Quòd loca remotiora à muribus tutiora ipsi viderentur quàm Moguntiæ propinqua. IV. Quòd turrim prope Bingam jam exstructam nôsset. Nam, si *Trithemio* credimus, non ab *Hattone* fuit turris illa excitata, sed ante Hattonem. Maluit igitur ad paratum asylum fugere, licèt nonnihil remotius, quam novi alicujus & propinquioris ædificationem inter infesta murium agmina exspectare.

ctare. Nec de amplo & magnifico palatio sed de parato & commodo asylo solicitum fuisse credibile est. V. elegit quoque locum illum quòd major in eo esset undosi fluminis raptus, ut *Tritbemius* loquitur. Tantò minùs igitur eò mures enataturos speravit.

Ad XIIm. Complexio nobis non contradicit. Frustraneam fuisse fugam *Hattonis* eventus docuit, cùm ultores in ipsam quoque turrim penetrârint. Factum tamen hoc est præter spem *Hattonis*, qui in secessu illo se tutum fore sperabat. An in itinere Bingam versùs, insecuti eum sint, incertum est. Fieri sanè potuit ut tantisper respirare eum Divina ultio passa fuerit, & demum, cùm extra periculi aleam se constitutum putaret, rursus eum invaserit, missis per medium Rhenum catervis murium. Sed fac insecutos esse, & aliquos navigio quoque, quoad turrim contendit, unà devectos: Sperare nihilominus poterat se paucis illis, quos secum devexisset, in asylo illo Bingensi facilè liberari posse, quando alii per aquas aditu prohiberentur. Nihil non spei sibi faciunt qui in angustiis sunt constituti, si vel minima evadendi occasio affulgeat. Fecere idem alii in iisdem angustiis constituti.

At inquis, *in turri illâ ædificandâ multum temporis fuisset consumendum: Ædificationem igitur Hatto non mandavit, vel exspectavit. Resp.* 1. Supponit Jesuita, ex sententia nostra, turrim tum demum ædificatam cùm à muribus vexaretur *Hatto*, & quidem jussu *Hattonis*. Atqui incertum hoc est, nec pro certo à nobis asseritur, quando contrarium habet *Tritbemius*: Cujus in Chronico Hirsaugiensi hæc sunt verba, *Cùm se nusquam in terra tutum conspiceret Pontifex jam miserandus, aquarum se munimine cinxit, ac juxta oppidum Bingionum turrim in medio Rheni ad custodiam patriæ olim constructam scaphâ subvectus adscendit, sperans eò loci mures per undosi fluminis raptum nullatenus esse venturos.* 2. Concessâ ædificatione turris recenti ab *Hattone* impetrata, antecedens negamus. Novimus enim paucorum dierum spatio ingentes à pluribus excitari posse moles, præsertim quando in promptu materia, quam defuisse *Hattoni* non est verisimile. Interea sanè *Hattonem* divexârint mures: quid hoc ad nos? Vulgi sermone celebris est Heidelbergensium traditio, speculam in latere montis *Gaysberg* quam *Trutzkayser* appellant, motûs intestini tempore, sub *Friderico* I, unius noctis spatio militari opere excitatam.

Ad XIIIm. 1. Supponitur, quod incertum, nempe turrim illam fuisse recentissimam. Aliud ex *Tritbemio* ostendimus. 2. Connexum negamus, concessâ etiam turris novitate. Tam enim molestus *Hattoni* esse non poterat recentis ædificii fœtor quàm murium incursatio & divexatio. Fœtori per suffitus aut alia media occurri poterat. Et si maximè ex recentis ædificii incommodo pereundum sibi præscivisset, dubium tamen non est quin mortem illam tam infami supplicio prætulerit.

Ad XIVm. 1. Connexi necessitas nulla est. Quot enim horrenda Dei judicia exercentur, ad quæ spectanda Europæ Principes nullos mittunt legatos, quæque in multorum notitiam non veniunt? Cùm Princeps Polonus *Popiclus* unà cum conjuge scelerata à muribus conficeretur, quis, quæso, Europæ Princeps suos in Poloniam legatos misit ad explorandam & oculis usurpandam rei veritatem? Imò quot putes fuisse Principes Europæ ad quos fama ista non pervenit, isto præsertim seculo minùs curioso? quod hoc quidem currente seculo, quo mundus nil nisi *Nova sitit*, vix lateret.

2. Et assumtio nequit probari à Jesuita. Fieri sanè potuit ut aliqui à nonnullis præsertim vicinis Principibus legati ablegarentur, qui horrendi spectaculi testes occulati essent. *At in historiis*, inquies, *tale nihil legitur. Resp.* Quis dixerit tibi à nullo unquam Historico id fuisse annotatum, cùm multorum interierint monumenta priùs quàm ad nostras pervenirent manus? Et fac à nullo unquam in historiam hasce legationes esse relatas: Anne omnes omnium Principum legationes historiis inseruntur?

Ad XVm. Negamus consequentiam. Nam si per pharmaca aut venena liberari à muribus potuisset, utique in turrim illam non confugisset. Nec si Princeps *Popiclus* se, conjugem & sobolem per pharmaca potuisset defendere, aquarum flammarumq; præsidiis usus fuisset. Probabile est per iram DEI vindicem mures à pharmacis, si quæ objecta fuere, aversos, & ad *Hattonem* rectà conversos fuisse.

Quando verò in remediis præscribendis tam ingeniosus est Jesuita, forsan si *Hattoni* præstò fuisset, *Plinianum* ei consilium de abigendis muribus suggessisset, jussissetque unum ex iis castratum emitti, qui malo suo omnes reliquos absterreret; lib 30. c. 16. Crediderim tamen clerum Pontificium à Monialium contubemiis & matronarum ædibus faciliùs hoc modo absterreri posse quàm mures; quâ ante annos aliquot adversùs sorices hosce antidoto usus dicitur *Botscaius*.

Ad XVIm. Consequentiam negamus. Quàm enim multa olim multis in locis acciderunt quorum nulla jam apparent vestigia?

Ad XVIIm. Antecedens negamus. Versiculi allegati non faciunt *Willigisum* turris conditorem. Versus qui ad rem videtur facere, hic est,

Et bene necesse prope Bing Mausen *dedit esse.*

Quis hinc turris murinæ seu myopyrgi conditorem augu-

augurerur *Willigisum*? Fieri tamen potuit ut *Willigisus* iste, qui primus fuit Elector Moguntinus, aliquid contulerit ad turris hujus collapsæ instaurationem: Sed nec hoc ex allegato versu evinci potest. 2. Nec consequentia firma est. Quâ enim facilitate Jesuita nostros testes repudiat, quidni eâdem & nobis liceat repudiare versiculorum illorum testimonium? Nam ut mendacia in prosam sic & in ligatam orationem irrepunt. Notum illud, *Pictoribus atque Poetis*, &c. quod Jesuita adversùs nos allegat. Idem igitur & sibi habeat.

Ad XVIII^m. Antecedens negamus. Scribit *Cromerus* Principi *Popielo* adversùs mures nec claustra profuisse nec abigentium satellitum præsidia. Simile exemplum vide sequenti §. 12. Idem igitur & *Hattoni* accidisse cogitet Jesuita.

Cur ergò, inquis, *tot ei menses adstitere famuli & custodes, cùm irrita viderent omnia auxilia? Resp.* Cur *Popieli* custodes suo adstitere Domino, quem è murium faucibus nequierunt eripere? Notum est eum famulorum fidelium esse morem, qui & canibus nonnullis est, ut á Dominis suis se avelli non patiantur, sed ad extremum usque halitum iis adhæreant. Etsi verò plerorumq; subditorum odia immanitate suâ in se concitaverat *Hatto*, dubium tamen non est quin plurimi sortem ejus acerbissimam miserati sint: dubium quoque non est quin aliquos sibi ministros clementiâ & beneficentiâ devinxerit, quorum deinde gratitudinem & fidelitatem expertus fuerit: Ii igitur tamdiu sperârunt donec exstincto domino spei nihil superesse animadverterunt.

Ad. XIX^m. Connexum negamus. Nec enim credibile est in omnes eum tam fuisse durum & immisericordem; ut diximus modò, ad Argum. 18. Nec in famulos ejus à muribus sævitum crediderim; ut ex periculi metu causam domini deserendi nullam habuerint.

Ad XX^m. 1. Antecedens negamus. Nam à muribus planè devoratum esse, ità ut nihil ejus reliquum manserit, historiæ non affirmant. Verisimile autem nobis fit, à muribus exanimatum & undique arrosum esse. Poterat igitur sepulturæ mandari quod reliquum erat, ut verè monstrari possit sepulcrum. Sin prorsus consumtum dixeris, sepulchro opus non erat: nisi fortè dicas κενοτάφιον ei erectum esse, idque hodie monstrari. 2. Et consequentiam negamus. Non enim illico prorsus est fabulosa narratio in qua contradictio occurrit: Potest namque errari in aliqua facti circumstantia, nihilominus verum sit principale narrationis argumentum.

Ad XXI^m. Consequentiam negamus. Multa certè in epitaphiis defunctorũ omittuntur quæ à vivis sunt patrata, præsertim si ignominiosa iis videantur. Quis in omnibus Pontificum Romanorum, Cardinalium, Episcoporum, & Jesuitarum epitaphiis omnia ipsorum facta exprimi credat?

Ad XXII^m. Si plus non esset probabilitatis in narratione de tragico *Hattonis* obitu quàm est in occasione natæ fabulæ, uti à Jesuita nominatur & narratur, certè inter fabulas eam referri facilè pateremur. Quid enim fabulæ Melesio sermone confertæ tam est simile quàm occasio sparsæ primùm de *Hattone* fabulæ à *Serario* recitata? Judicent viri cordati. Nobis historia est vera prisca illa de *Hattone* narratio, nec à nostra sententia nos dimovent Jesuitæ argumenta, quorum imbecillitatem abundè monstravimus.

§. 12. Nec verò hi iræ & vindictæ Divinæ ministri tam sunt insolentes & rari ut exempla in historiis similia non occurrant.

Memorabilis historia est de Principe Polono *Popiello* unà cum conjuge & sobole à muribus consumto: quàm anteà attigimus.

Lycosthenes in Prodigiis narrat, anno 997, *Wilderolphum* Argentinensem Episcopum occulto Dei judicio à muribus absumtum esse. En tibi alterum *Hattonem*, & ipsam Episcopum, paucis annis Moguntino juniorem.

Anno 1056, nobilis quidam vir cùm in convivio luxurioso licentiùs genio indulgeret, stupendâ murium gliriúmque multitudine circumventus & arrosus est; qui navigio in altum mare provectus ex ultorum horum faucibus eripi non potuit. Protinus enim & illi remigio non minùs citato insecuti, magno nautarum periculó, corrosis tabulatis, præ naufragii metu ad littus appellere vectores coegerunt, & in eo expositum nobilem miserrimè dilaniârunt; *Vincentius*, lib. 25. c. 117. Idem memorat *Nauclerus*, Generat. 36. *Wernerus*, in Fasciculo, sub *Nicolao* II.

Matthias Paris in *Wilhelmo* II. refert, *Alemannicum fuisse Comitem Henrici Imperatoris persecutorem, qui hanc perfidiæ pœnam dederit.* Addit, *famulos fustibus & baculis arreptis, cùm occurrissent muribus, diu in illos sævientes nihil penitùs profecisse.*

Regionum & insularum incolas sedibus suis pulsos à muribus historiæ priscæ docent. Videatur *Plinius*, lib. 8. cap. 29. de Gyaro Cycladum insulâ; *Ælianus*, lib. 17. cap. 41. de quibusdam Italiæ populis.

Gororantes Persidis Imperator ad Christianos affligendos in auxilium quoque mures vocavit. In profundas enim fossas undiq; probè munitas CHRISTI athletas ligatis manibus & pedibus, demisit & majorum soricum numerosos greges ad eos immisit, qui ligatos arroderent; *Cassiodorus*, Histor. tripart. lib. 10. cap. 30.

Heliogabalus, quòd vitæ metueret, 10000 murium, soricum & mustelarum colligi curavit; *Platina* in *Urbano I.* Felix ergò Scotiæ regio Argadia, quæ nullos fert mures: in quam etiam illati mures protinus moriuntur; *Ortellius*, in Scotia. Hactenus digressio de muribus, nata è muribus Niloticis.

§. 13. Unum adhuc opportunum fuerit hoc loco annotare; Hæc Ægypti & Æthiopiæ fœcunditas cœli Nilique indultu concessa profanis olim gentilibus absurdas de hominum & reliquorum animantium perfectorum ortu cogitationes suggessit. Crediderunt enim spontaneo ortu, cum reliquis animantibus terrestribus, aquatilibus & volatilibus, primósque homines in Ægypto & Æthiopia veluti plantas exstitisse, fœcundam terram propinquo sidere animante, & ex benigna illa coloris humorísque temperie cùm alia animantia tum nobilissimam creaturarum Hominem eliciente, (quæ modernorum quoq; Chinensium de primorum animalium ortu sententia est) *Diodorus Siculus*, lib. 1. c. 1. *Justinus*, lib. 2. *Theodoretus*, serm. 5 De natura hom. *Eusebius*, Præparat. Evang. lib. 7. cap. 17. *Justinus Martyr*, in Paræn. *Jacobus Martinus Scotus*, De prima generat. c. 17. *Otto Heurnius*, in Indico, cap. 13. Cujus sententiæ profanitatem gravissimè refutat *Lactantius*, De falsa relig. lib. 2. cap. 12.

CAPUT XXII.

Frugum in Ægypto & Æthiopia abundantia à Nilo procurata.

Fertilitas Ægypti, §. 1, 2. *Reditus Ægypti temporibus* Auletæ, Augusti *&* Tiberii, 3. *Conciliatio* Strabonis *& Diodori Siculi*, 4, 5. *Reditus Romanorum ex orbe subjugato, itē Imperatoris Turcici, & Regis Chinensis*, 5. *Sulcus Ægypti*, 6. *Fertilitas nonnullorum Africæ locorum*, 7. *Ager Aegyptiacus centuplum reddit. Fertilitas insulæ Nili Meroes*, 8. *Annona Ægypti non est durabilis*, 9. *Lini optimi in Ægypto copia*, 10. *Nilo divini honores habiti*, 11. *Nilus Hieroglyphicum agriculturæ & rei nauticæ*, 12. *Ægyptus populosissima*, 13.

§. 1. HActenus de animantium ortu. De frugum abundantia ejusdem Nili auspiciis procuratâ, in Ægypto potissimùm, veterum & recentium scriptorum certissima sunt documenta. Fidem fecerit, si maximè alia non suppeterent testimonia, Ægypti encomium veteribus usurpatum, quo *publicum orbis horreum* est appellata; *Cælius Rhodiginus* L. L. antiq. lib. 29. c. 21. Passim Poetæ Græci hoc Nili donum prædicant elegantibus epithetis, qualia καρποδότης, σταχυηφόρος, ἀγλαόκαρπος, πυροφόρος, σταχυώδης, εὐρύκαρπος.

§. 2. Sed & alia nobis sunt illustria testimonia. Autore *Plinio* Oratore, in Paneg. *Trajani*, Ægyptus alendis augendísque seminibus ità gloriata est, ut nihil imbribus cœlóque deberet, siquidem proprio semper amne perfusa, nec alio genere aquarum solita pinguescere quàm quas ipse devexerat, tantis segetibus induebatur ut cum feracissimis terris quasi nunquam cessura certaret. Unde & Ægyptii jactârunt, se populum Romanum victorem pascere, ínque suo flumine, in suis manibus vel abundantiam vel famem Romanorum esse. *Josephus* scribit Ægyptum tam munitam & adeò fertilem esse, ut cunctos mortales pascere, Deos ipsos hospitio excipere & salvare posse gloriaretur. *Hegesippus* ait novam Ægypti gratiam & fœcunditatem militare Romanis, & quatuor mensibus Dominos alere, lib. 2. cap. 9. Idem, lib. 4. cap. 27. scribit, Ægypti regionem feracem totum orbem terrarum frumento alere. *Herodotus*, lib. 3. tradit, Ægyptum *Dario* tantum frumenti contulisse singulis annis ut eo 120000 Persarum, quorum in albo muro Memphitico statio erat, per annum alerentur, eorúmque insuper auxiliarii. *Justinus* Historicus ità fœcundum Ægypti solum prædicat ut alimentorum in usus hominum nulla terra feracior sit. *Tacitus*, lib. 3. Histor. Ægyptum appellat *claustra annonæ, & vectigal provinciarum*. Quam ob causam, eodem *Tacito* autore, *Aegyptum Augustus seposuit*, hoc est, *Ferretto* interprete, voluit neminem illustrem, nisi concessu Principis, ingredi Ægyptum; ob eam causam quòd quicunque eam provinciam occupâsset, tanquam claustra terræ ac maris, quæ parvo præsidio contra exercitus ingentes teneri possent, facilè Italiam fame posset premere. Videatur *Dionis* locus quem in extremo libro allegamus. *Pomponius Mela* mirè fertilem eam prædicat, & hominum cæterorúmque animantium ac frugum perfœcundam genitricem: cujus cultores lutum inter manus, farinam pedibus subigunt. *Isocrates*, in Laudatione *Busiridis*, Ægypti provinciam ait in orbis parte commodissima sitam esse, & plurimorum ac potiùs omnis generis bonorum feracissimam Nilo tanquam immortali muro, ἀθανάτῳ τείχει, circundatam, qui eam non tantùm muniat, sed insita liberalitate alat. *Cuspinianus*, in *Octaviano*, ex *Aurelio* refert, postquam *Augustus* fossas Nili oblimatas militari

opere

opere detersisset, ex Ægypto Urbi annua ducenties centena millia frumenti fuisse allata.

Auxisse perhibetur Ægypti fertilitatem Patriarcha *Josephus*, qui locorum, quæ ante adventum ejus in Ægyptum à mundi initio curæ & culturæ expertia jacuerunt, naturâ explorata & situ, ruptis quibusdam aggeribus, qui medii erant inter habitabilem tractum & solitudinem sterilem, ad humiliora nonnulla loca Nili aquas derivavit, & à seculis incognitam fœcunditatem iis familiarem fecit; *Willermus Tyrius*, lib. 19. cap. 23.

§. 3. Hanc Ægypti fertilitatem loquuntur amplissimi reditus quos *Auletæ* patri *Cleopatræ*, ignavo tamen tam divitis Regni administratori, singulis annis pependit, *Ciceronis* calculo, 12500 talenta. Locum *Ciceronis* laudat *Strabo*, lib. 17. qui tamen in *Ciceronis* operibus quæ ad nos pervenerunt non exstat. Suspicatur *Lipsius* in Oratione pro *Rabirio Posthumo* exstitisse. Conficiunt autem talenta ista, *Lipsii* calculo, lib. 2. De magnit. Rom. cap 3. septem milliones & semissem. Talentum enim Atticum 600 coronatos continet.

Sequentia verò *Strabonis* verba sunt observanda, *Si*, inquit, *ille Rex negligenter & ignavè imperans tantùm redegit, quid tunc censendum est, cùm omnia tantâ diligentiâ & ordine administrantur, itémque Troglodyticâ & Indicâ negotiatione sic auctâ.* Unde colligit *Lipsius*, *Augusti* vel *Tiberii* ævo, ad X vel XII milliones Ægypti reditus fuisse productos: Qui sanè longè maximi sunt, si provinciæ angustias considercs.

§. 4. Sed *Ciceroni* & *Straboni* opponit *Casaubonus*, in Notis ad *Strabonem*, *Diodori Siculi* autoritatem, qui sub id tempus Ægyptum se lustrâsse scribit, & accepisse ab iis qui res rationésque Regias tractabant, illum accipere supra sex millia talentûm annua: quæ non nisi dimidia pars redituum à *Cicerone* consignatorum.

§. 5. Respondet *Casaubono Lipsius*, loco quem antè allegavi, Si ab Ægyptiis *Diodorus* hoc acceperit, Ægyptiaca igitur talenta intellexisse, quæ Atticis majora, & minas sive libras habent 80, ut *Plinius* ex *Varrone* scripsit. Fragmentum etiamnum exstat inter Additamenta *Antonii Riccoboni*. Ægyptiaca igitur talenta 6000 parùm à 12000 Atticis abeunt; etsi nonnihil abeunt. Unde *Diodorus* ait, *plus etiam accepisse*. Est & hinc colligere, grande aliquod Ægyptios in ærarium Romanum intulisse, quia apud *Josephum Agrippa* Rex in concione Judæos ita alloquitur, *Tributorum multò ampliùs Romanis per singulos menses pendit, quàm vos, ô Judæi, toto anno*, lib. 2. Excid.

(Hâc tamen tempestate, si *Bernhardo Navagerio* Legato ad Turcam Veneto credimus, Ægyptus & Arabia Turcæ solvunt non nisi unum millionem & 800000 seraphorum aureorum.)

Quod si ex uno hoc orbis angulo tantas hausit divitias ærarium Romanum, quid cæteras orbis provincias uni Urbi obnoxias contulisse arbitremur? *Lipsius*, lib. 2. De magnitud. Rom. cap. 3. scribit, se animo sentire & ore etiam promere, supra centum quinquaginta milliones singulis annis in Romanum ærarium illatos esse. Turcici reditus annui 20 milliones aureos efficere dicuntur. Unde quantò sit inferior Turcica potentia veterum Romanorum opulentiâ cuivis judicare in promptu est. Modernus tamen Rex Chinensis ad Romanorum summam propè accedit. Sunt enim qui pro certo affirment 120 milliones aureorum singulis annis eum capere. Unde tanta Regis hujus insolentia ut *Mundi Dominum, Cœli Filium, totiusque firmamenti Solem* se appellet. Sed in Ægyptum redeamus.

§. 6. Hoc fertilitatis & fœcunditatis nomine olim *Libyam* patentissimam præ se contemsit Ægyptus angusta. Unde proverbium natum, *Sulcus Aegypti arenas Libyæ non curat.* Quod disticho Græco expressit *Antiphilus*,

Καρποῖς, ὦ σταδίοισιν ἐρίζομεν· οὐδὲ γὰρ αὖλαξ
Αἰγύπτου Λιβύης ψάμμον ἐπιστρέφεται.

Quod ità reddimus,

Aegypti sulcus Libycas contemnit arenas:
Pugnamus Libyæ frugibus, haud stadiis.

§. 7. Non tamen tota Libya ad sterilitatem est damnata, cùm maximam agri quoque Libyci fœcunditatem *Plinius* deprædicet. Verba ejus sunt, *Si sit aptum solum, quale in Byzacio Africæ campo, & uno modio centeni quinquageni modii redduntur. Misit ex eo loco Divo Augusto procurator ejus ex uno grano (vix credibile dictu) quadringenta paucis minus germina. Misit & Neroni similiter trecentas quadraginta stipulas ex uno grano*, libr. 18. cap. 10. Similia habet de fertilitate Libyæ lib. 4. cap. 4. lib. 17. cap. 5.

Mira quoque Mauritaniæ fertilitas celebratur. Messem enim habet uno anno geminam, autore *Strabone*, vitem bifetam, & tam stupendæ molis, ut duorum hominum complexus eam nequeant capere, uvarum racemos cubitales: ut fidem facilè inveniant quæ dicuntur de botro exciso è valle Escolis & à duobus viris ad Israelitas portato, Num. XIII. 23.

§. 8. Sed libet singularia quædam specimina proferre, nostríq; Nili admirandas opes prædicare. *Diodori Siculi* lib. 1. hæc sunt verba, *Tantam Nilus fertilitatem infert & agri colendi facilitatem, ut, cùm severint, pecora introducant in campos*

ad

ad conculcanda jacta semina, aut aratro levi terram subducant, neque nisi quatuor aut quinqoe exactis mensibus ad messem redeuntes, brevi tempore uberrimos fructus absque magna impensa laboréve reportent.

Si *Plinio* credimus, centuplum reddit ager Ægyptiacus, lib.18.cap.10.*& fungitur coloni vice Nilus:* cap.18. *Sub initia Novembris limo semina mandant Messis in Maio peragitur*; ibid.

In Nili insula nobilissima Meroe, autore *Heliodoro*, lib. 10. triticum & hordeum in tantam adolescit proceritatem ut homo insidens equo vel camelo facilè occultetur segetibus, nè conspici ab ullo possit. Fructu autem adeò ubere sunt semina *ὥστε εἰς τετρακόσια τὸ καταβληθὲν ἐκφέρειν, ut tricentuplum ferant.* Fidem hæc videntur superare: sed admirabiliora sunt quæ de Hispaniolæ fertilitate memorat *Martyr*, Decad.3.lib.5. ubi scribit, *Spicam Hispaniolæ superare lacerti crassitudinem, spithamâ longiorem, granáque nutrire quamlibet bis mille ampliùs. Jurejurando id affirmârunt incolæ.*

Nilo quoad fœcunditatem propemodum par esse dicitur fluvius Urabiensis in Occidentali India: Facillimè enim & felicissimè provenit ac maturescit quicquid in *Urabia* seritur aut plantatur. Cucumeres, melones, cucurbitæ intra diem XXVIII maturescunt, *Gaspar Ens*, Histor. Ind. Occid. lib.3.cap.9.

§. 9. Est igitur annonæ (quæ non nisi hordeum & triticum, *Jacobus de Vitriaco*, Histor. lib.3.) proventu beatissima Ægyptus. Quæ tamen & hoc habet incommodi, quòd annonam durabilem non ferat, ut scribit *Jacobus de Vitriaco*, Histor. lib. 3. & *Matthias Paris*, in Henrico III. Causam referunt ad glebarum in quibus crescit mollitiem. Addunt tamen, circa Babyloniæ partes esse durabiliorem, non tam ex natura quàm arte. Certè *Josephi* Patriarchæ temporibus in annum usque septimum duravit; nisi forsan hoc extraordinarium fuisse dicas. Simile est frumentum insulæ Terceræ, quæ inter Azores, quod nullam fert ætatem; *Gotardus Arthus*, Ind. Orient. cap.6. Aliquot tamen mensibus in terram defossum, & hâc quasi præparatione ad durationem promotum, alterum attingit annum: Aliàs vix in quartum mensem servari posset.

§. 10. Præter frugum abundantiam, lini quoque copiam maximam quotannis Aegyptus ministrat: quam Nilo quoque ubertatem debet. Estque linum hoc omnium præstantissimum, quod in varias Occidentis partes spargitur; *Marinus Sanutus*, libr. 1. part 1. cap. 3. Lini divitem esse Aegyptum colligitur quoque ex *Jesaiæ* XIX. 9. & Ester i. 6. cui *minimum firmitatis, plurimum lucri* esse scribit *Plinius*, libr. 19. cap. 1. Quatuor ejus olim celebrata sunt genera, à regionum in quibus nascitur nominibus, *Taniticum, Pelusiacum, Buticum, Tentyriticum,*

§. 11. Hactenus agrorum Aegyptiacorum ex Nilo fertilitas. Ob quam divini honores sunt exhibiti aquis Niloticis. Cùm enim ad templum in hydria humeris gestarentur, omnes procumbebant, sublatísque manibus gratias agebant, & Nilum *Jovem* salutabant; *Alexander ab Alexandro*, lib. 4. cap.17. *Gyraldus*, De Diis Gent. syntag.17. Nescio an religionis quoq; arcanum in eo fuerit, quòd in urbe Achanta, trans Nilum, Libyam versùs, stad. à Memphi 150, singulis diebus in vas perforatum aquam Niloticam detulerint sacerdotes 360; *Diodorus Siculus*, lib.1.cap.6.

§. 12. Ob fluminis fœcunditatem & commoditatem multiplicem, Aegyptii agriculturam, rei nauticæ lucrum & communicatam longinquis regionibus ac provinciis opulentiam Hieroglyphicè per Nili simulacrum indicârunt, insigni effigie, cujus lepidam descriptionem ex *Philostrato Pierius Valerianus*, lib. 46. adducit: *Lascivire eam ait cubitulis circumludentibus. Huic enim sese ab undis attollenti magnitudinis quippe istiusmodi pueri ridibundo adblandiuntur occursu, sexdecim numero quot itidem cubitis ad fertilitatem facit exundatio: infantilísque ætas ea crescendi est hieroglyphicum. Circumsistunt verò Nilum hujusmodi pueri propemodum garrientes: Quorum alii humeris insident; alii de cruribus pendent implicati; in ulnis alii cubitant; lusitant circa pectus alii. Ipse verò pater flores suaveolentésq; herbas de sinu depromit, & in eos spargit. Ex iis alii coronas texunt, alii sese illis obvolvunt, stratíq; per flores somnum captant. Sistra quatiunt alii. Alii subjicientes alteri cuipiam humeros scalarum vicem officiosè subministrant, alteríq; alteris catena veluti juncta sustolluntur. Neq; absunt qui plausum sonitúmq; ab aquis excitent, applosis manibus. Crocodili verò & fluviales equi procul hinc summoti imo se condunt fluvio, nè puerulos perterrefaciant, & Numinis sui lusum interturbent.* Meminit ejusdem simulacri *Plinius*, lib. 35. cap.7. Statuam in qua omnia hæc & plura describuntur ac repræsentanrur Romæ repertam meminit *Stephanus Vinandus Pighius*, in *Hercule Prodicio*, edit. Antuerp. pag. 393, 394. Totam ferè Nili historiam comprehendit statua.

§. 13. Hæc agri Ægyptiaci felicitas & fertilitas (quod coronidis loco capiti huic attexo) fecit ut plurimis olim habitatoribus & incolis Ægyptus coleretur, & ad urbium plurimarum ædificationem homines invitavit.

De

De numèro incolarum Ægypti scribit *Josephus*, Ex tabulis Romanorum censualibus colligi, Ægyptum habere septingentas & quinquaginta myriadas hominum, hoc est 7500000. Suffragatur *Hegesippus*, lib. 2. cap. 9. Etsi *Diodorus Siculus* non nisi 1700000 habet: Sed *Diodoro* præferimus *Josephum* & *Hegesippum*.

Observandum autem in hoc Ægyptiorum numero non comprehendi Alexandriæ incolas, quorum quoq; centena aliquot millia.

Urbes in eadem Aegypto fuere, secundùm *Diodorum*, 18000; secundùm *Melam*, 20000, cui assentitur *Eustathius* Iliad. β, ubi ait sub *Amasi* Rege, ἐν Αἰγύπτῳ γενέσθαι πόλεις δισμυρίας οἰκουμένας.

Quarum numerum auget *Theocritus*, in Encomio *Ptolemai*, hisce versibus,

Οὐδέ τις ἄστεα τόσσα βροτῶν ἔχει ἔργα δαέντων.
Τρεῖς μέν οἱ πολίων ἑκατοντάδες ἐνδέδμηνται,
Τρεῖς δ' ἄρα χιλιάδες τρισσαῖς ἐπὶ μυριάδεσσι,
Δοιαὶ ϗ τριάδες, μετὰ δέ σφισιν ἐνδεκάδες τρεῖς.

Artemidorus tamen in omni Delta Aegypti non nisi 250 oppida numeravit; *Martianus Capella*, libr. 6. De nupt. Philolog. Forsan de posteriore ætate loquitur, aut præcipuas tantùm urbes numerat.

Hâc nostrâ ætate mirum in modum numerus incolarum decrevisse dicitur. Urbes insignes paucissimæ sunt; *Boterus*, in Descript. Aegypti.

CAPUT XXIII.

Caprarum & Ovium in Ægypto fœcunditas & pinguedo.

Oves Ægyptiacæ pingues & fœcundæ, §. 1. *Ovium Æthiopicarum portentosæ caudæ. Oves Peruanæ*, 2. *Capræ Ægyptiacæ fœcundissimæ*, 3. *Pastores Aegyptii. Ovium Aegyptiacarum usus*, 4. *Aquæ Niloticæ pinguefaciunt*, 5. *Aegyptii Sacerdotes Nili aquas bibunt parcissimè, ibid.* Νυϑωία *ad Sacerdotes Pontificios*, 6.

§. 1. TErtium fœcunditatis aquæ Niloticæ indicium promimus, caprarum, & ovium in Aegypto fœcunditatem & pinguedinem, de qua mira autores memorant.

Diodorus Siculus, libr. 1. scribit inculta Aegypti loca à Nilo rigata & pecori ad pastum relicta adeò herbis exuberare ut oves bis in anno pariant & bis lanam præbeant. Recolit idem *Jacobus de Vitriaco*, Historiæ suæ libr. 3. Hinc Aegyptius εὔβοτος εὐλείμων τε à *Dionysio* appellatur.

§. 2. Eandem Nili aquam bibentes Aethiopicæ nonnullæ oves portentosas trahunt caudas, pondo 80; quales *Leo* se vidisse scribit in urbe Aethiopica Asiot. Memorat quoq; alias se vidisse 150 pondo, tantæ molis ut ob caudæ amplitudinem reliquum corpus vix loco movere potuerint. Non lana illis, sed pilus Camelorum hirsutus; *Aelianus*, libr. 17. cap. 10. Ex cauda de reliquo corpore conjectura fiat. Majores tamen illis videntur Peruanæ oves, quæ equis magnitudine pares sunt, ferendis ingentibus oneribus & sessoribus idoneæ, præter torosi pectoris strumam camelis persimiles, paucissimi cibi & exigui potûs, quo triduum quatriduúmq; integrum facillimè abstinent; *Levinus Apollonius*.

§. 3. Capras Aegyptiacas aliquando partum quintuplicem edere, plerasq; verò gemellas, scribit *Aelianus*, lib. 3. c. 33. aitque rei illius causam esse aquas Nili fœcundissimas, quas pastores, quibus de augendo pecore cura est, hauriunt pecudibus lactis inopibus & infœcundis.

§. 5. Non immeritò quæri hîc possit, cur Gen. xlvi. 34. *Aegyptii* dicantur *detestari omnes ovium pastores*, cùm & ipsi Aegyptii caprarum oviúmque pastores fuerint, quippe caprarum & ovium non minùs divites quàm aliæ gentes, imò longè ditissimi, propter pascuorum ubertatem ipsarúmque pecudum fœcunditatem, de qua modò diximus. Aut igitur caprarum & ovium in Aegypto olim nulli fuerunt pastores, (quod neutiquam verisimile, cùm sine pastoribus & custodibus pecudes hæ nuspiam alantur) aut seipsos detestati sunt Aegyptii, si omnes ovium pastores detestati sunt: quod & ipsum dictu absurdum videtur. Resp. Aegyptios quoque fuisse ovium caprarúmque pastores extra omne nobis dubium videtur: ut & alterum, quòd seipsos detestati non sint. Dicendum igitur, Aegyptios detestatos esse non omnes simpliciter & in universum pastores ovium, quales ii fuerint, sed omnes illos qui vel Hebræi vel Hebræorum similes erant; hoc est, qui capras & oves impunè mactabant, iisque sine religione vescebantur: Quem morem Aegyptii tum temporis detestabantur, ut qui in animalium illorum generibus Numina habebant, quæ religiosè colebant, & hanc ob causam pecudes hasce nec mactabant nec edebant. Unde Gen. xliii. 32. *Aegyptiis illicitum fuisse* dicitur *comedere cum Hebræis*, nempe quia mactabant & edebant Hebræi pecudes, quas pro Diis habebant Aegyptii, adeóque mactare & edere nefas ducebant.

Quis ergò inquias, ovium apud Aegyptios usus erat,

erat, si mactare & vesci nefas putabatur? Resp. Oves dubio procul aluerunt. I. propter usum lactis & casei. II. Propter lanam, è qua vestes conficiebant. III. Propter commercia cum aliis gentibus. Nam nisi oves in Ægyptiorum commercia venissent, & cum aliis gentibus communicatæ fuissent, vel multitudine earum tandem obruti fuissent, vel dicendum esset singulis annis magno numero eas esse mortuas, ut earum mole Ægyptus sublevaretur: quorum neutrum verisimile.

§. 5. Pinguiora verò evasisse pecora ex aquarum Niloticarum usu, severum illud Ægyptiorum interdictum docet, quo quàm religiosissimè vetuerunt nè *Apis* tantâ curâ cultúque nutritus ex Nilo biberet, & pinguedinem inde contraheret. Siquidem macilentiam & gracilitatem omni pondere vacuam Divinitati propiorem arbitrabantur, ut ex *Plutarcho* subnotat *Pierius Valerianus*, Hieroglyph. lib. 46.

Eandem ob causam Ægyptii quoque sacerdotes, *Porphyrio* autore, uti jejunio & abstinentiâ consueverunt, Niliq; aquas parcissimè biberunt, ut supervacuo corporis levati pondere Divinis rebus tantò rectiùs operarentur, animiq; oculus à fumo fluctúq, corporeo foràs emicaret; *Pierius Valerianus*, lib. 46. Salem quoque iidem Sacerdotes mensis suis abdicârunt, nè languentem & stupidam ciborum excitarent appetentiam, voracioresque & bibaciores impendio illius usu efficerentur; *Nicolaus Leonicus*, Variæ histor. lib. 2. cap. 21. Agninis deniq; porcinísque carnibus abstinuerunt, quòd in excrementorum exuberantiam facilè abirent; Idem. Regi denique discumbenti præter vitulum & anserem nihil inferebatur, bibendi quoq; ad præscriptum lege injunctâ; *Cœlius Rhodiginus*, lib. 9. cap. 13.

§. 6. Aures velim hîc arrigant Sacerdotes Pontificii, qui plerique corpora sua exquisitissimis cibis & deliciis transmarinis saginant, & *pleno laudant jejunia ventre*, adeò ut

Pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstet.

Sanè obliti hi muneris sacerdotalis in victimas sese transformant, quas pingues esse olim par erat.

CAPUT XXIV.

Mulierum Ægyptiarum fœcunditas & πολυτοκία.

Mulieres Ægyptiæ fœcundæ ex Nili potu, §. 1. *Multiplicem fœtum edunt*, 2. *Sunt nihilominùs valentissimæ*, 3. *Alia πολυτοκίας exempla*, 4. *Fœcunditas mulierum Hebræarum in Aegypto*, 5. Libavius *statuit Nili aquam esse nitrosam, &, hanc ob causam, fœcundam*, 6. *Refutatur*, 7. *Instantia* Francisci Vallesii, 8. *Respondetur ad experimentum* Libavii, 9.

§. 1. QUartum addimus indicium fœcunditatis aquæ Niloticæ, mulierum Ægyptiacarum fœcunditatem, quæ prodigiosa in Ægypto est, ubi *fœtifer potu Nilus*; *Plinius*, lib. 7. c. 93. *Pleraq; sunt*, inquit *Seneca*, *quorum ratio reddi non potest; ut cur aqua Nilotica fœcundiores faciat fœminas, adeò ut quarundam viscera longiore præclusa sterilitate ad conceptum relaxaverit.*

Quod equidem faciliùs crediderim quàm quod *Bellarminus*, libr. 2. De Monach. cap. 21. ex *Sulpitii* Dialogo recitat, Fraterculum quendam jussu Abbatis storacinam virgam jampridem aridam terræ infixam aquâ quotidie ex Nilo per spatium duorum milliarium humeris gestatâ rigâsse, & labore in tertium annum continuato virorem virgæ restituisse. Credat qui volet. Miraculum quidem Jesuita hîc prædicat: sed nec apud Pontificios omnes fidem invenit.

§. 2. De fœminarum Ægyptiacarum πολυτοκίᾳ *Aristoteles* libr. 3. De histor. animal. ità scribit, *Cùm animalia quædam singulos pariant, alia plures, genus humanum in ancipiti est. Nam quod plurimùm & locis plurimis agitur, mulieres singulos singulæ pariunt; Verùm sæpe & locis plerisq; geminos etiam edunt, ut in terra Aegypto fieri certum est. Pariunt enim in Aegypto & tres & quatuor, idq; locis nonnullis sæpe fit: sed cùm plurimùm quinq; nascuntur: jam enim hoc pluribus evenisse conspectum est. Et quædam quatuor partubus enixa, majórq; eorum pars enutriri & adolescere potuit.* Hactenus *Aristoteles*. Idem ex *Aristotele* recolit *Gellius*, lib. 10. cap. 2. *Plinius*, lib. 7. cap. 3. scribit, autore *Trogo*, in Aegypto septenos uno utero simul gigni. Quod ex ipso repetit *Solinus*, cap. 3. additq; minùs mirum id esse, cùm fœtifero potu Nilus non tantùm terrarum sed & hominum fœcundet arva. Quam ob causam Νείλου ὕδωρ καὶ μεγαλοφυεῖν, καὶ γόνιμον καὶ πολύγονον εἶναι scribit *Herodotus*. Διὸ, *Eustathius*, καὶ τὰς γυναῖκας ἱστοροῦσι τετράδυμα τίκτειν, ἤδη δὲ καὶ κατὰ τὴν Αἰγυπτίαν ἱστορίαν, ἑπτάδυμα. *Paulus ICTUS*, lib. 5. tit. 4. non leves autores esse memorat qui tradiderunt quinquies quaternos enixam Peloponnesiam, & jam multas Ægypti uno utero septenos.

§. 3. Súntque nihilominus valentissimæ fœminæ Ægyptiacæ, ut quæ à partu statim è lecto surgunt ad obeunda domestica munera; *Aelianus*, lib. 7. cap. 12.

Videntur tamen iis longè validiores fuisse Hebrææ fœminæ, cùm in Aegypto exsularent, ut quæ etiam sine obstetricis ope pepererunt, Exod. i. 19. Nisi mentitæ sunt obstetrices, ut è textu videtur colligi posse, & plerique interpretes statuunt. Crediderim tamen post Aegyptii Regis edictum crudele, & ante exploratam obstetricum Aegyptiacarum pietatem, nonnullas ex Hebræis sibimetipsis obstetricatas esse, ut præmium laboris auferrent vivos filios. Sanè *Josephus*, lib. 2. Antiquit. de Moysis matre scribit, tam facilè eam esse enixam ut observatores fefellerit, nihil sentientes eorum quæ in vulgaribus puerperiis sentiri solent.

Non facilè contradixerit qui miram pariendi facilitatem in Illyricis fœminis admiserit, de qua *Varro* Rerum rust. lib.2.cap. 10. *In Illyrico hoc ampliùs, prægnantem sæpè, cùm venit pariendi tempus, non longè ab opere discedere, ibique enixam puerum referre, quem non peperiße sed invenisse putes.*

§. 4. Istam verò mulierum Aegyptiarum πολυτοκίαν quod attinet, etsi inter ostenta apud nos habetur, causa tamen nulla est cur gravissimis autoribus fides habenda non sit, præsertim cùm naturæ vires non excedat, & partûs longè numerosioris exempla non desint.

Albertus scribit mulierem in Germania conformatis jam in utero viginti duorum infantium corpusculis abortum fecisse. Aliam 150. embryonum corpuscula, auricularis digiti magnitudine, in pelvim ejecisse; lib. 9. De animal. tract.1. cap. 5. Aliam 70. *Hirmentruldis Commitißa de Artelf* uno partu viginti duos enixa dicitur.

Margareta Hollandiæ Comitißa, anno Domini 1276, uno partu infantes edidit trecentos sexaginta quatuor promiscui sexûs, anno ætatis 72, ipso die Parasceves, horâ nonâ matutinâ. Quos omnes baptizavit Episcopus *Guido*, multis præsentibus Proceribus & Magnatibus. Masculis *Johannis*, Fœmellis *Elisabethæ* nomen impositum. Descripsit historiam *Guicciardinus*. Sepulcrum omnium infantium, ut & Matris, marmoreum ac regium adhuc in Hollandia conspici dicitur, in cœnobio Monialium *D. Bernhardi*, quod *Losdum* appellatur. Magnus hìc Historicorum consensus. Exempla plura non attingo, quæ videri possunt apud *Phlegontem Trallianum*, & inprimis apud *Marcellum Donatum*, in Media historia mirabili, cap. 24.

§. 5. Occasione materiæ hujus, de fœcunditate mulierum Ægyptiarum, opportunum fuerit mentionem injicere fœcunditatis mulierum Hebræarum, cùm in Ægypto essent. Ex animabus enim lxx, Genes. xlvi. 27. quæ in Ægyptum descenderunt, spatio annorum (si quàm longissimè id extendatur) ccxv, qui ab ingressu ad egressum sunt elapsi, secundùm accuratum nonnullorum calculum, non pauciora quàm tricies centena hominum millia sunt procreata. Quod quâ fieri ratione potuerit à multis quæritur.

Aliorum (ut modò taceam) multorum opinio est, naturalem fuisse illam fœcunditatem ab Ægyptiaci fluminis cœlique benignitate ortam. Fuit autem fœcunditas ista in vicinis quoq; locis olim frequens. Ex tribus enim duntaxat *Noe* filiis post diluvium spatio annorum ccl. adeò excrevit humanum genus ut solus *Ninus* Monarchiæ Assyriacæ conditor in exercitu quem adversùs Bactrianos eduxerat, peditum habuerit septies & decies centena millia, equitum ducenta millia, curruum falcatorum decem millia, teste *Diodoro Siculo*, libr. 3. c. 2.

§. 6. Hucusque Nili fœcunditas quatuor probata indiciis. Causa ejus obscura est, ex Philosophorum confessione. *Andreas Libavius*, part. 4. Singular. lib. 1. de ferinis Tuberanis, cap. 12. aquas Niloticas ad generationem & nutritionem vel ideò aptas esse ait, quòd sint nitrosæ. Nitrosas esse probat, quòd in nitrarias immissæ olim nitrū & halosanthos dederint, & nitrum quidem in lapides solidos indurescens.

§. 7. Si *Labavio* habenda fides, septima aquæ Niloticæ qualitas *Nitrositas* à nobis esset ponenda & explicanda: Quam tamen genuinam Nili qualitatem nos minimè agnoscimus, multò verò minùs fœcunditatis aquæ Niloticæ causam judicamus. Sententiæ nostræ fundamenta hæc habemus.

I. Aquam Nili uno omnes ore dulcissimam & ad potum suavissimam prædicant: quales esse aquas nitrosas nemo dixerit. Est enim nitrum salis species, quæ salis saporem aquis ingenerat: qui certè nullam aquis dulcedinem aut suavitatem conciliat. Estque amarum ob superfluam salsedinem; *Vallcriola*, Enarrat. med. lib. 1. Enarr. 7.

II. Salsuginem sterilitatis nomine infamem esse ex sacris etiam literis manifestum est. Hinc *David*, Psal. cvii. 34 *Redigit terram fructuosam in salsuginosam propter malitiam habitantium in ea*. Opponuntur hìc terra fructuosa & salsuginosa. Salsugo igitur sterilitatis non fertilitatis causa est. Quod & vetustissimus mos comprobat, quo terris ob patrata facinora damnatis ad sterilitatem sal inspergebatur, ut signum & causa sterilitatis. Exemplum occurrit in lib. Judicum cap. ix. 45. ubi *Abimelech* destructam Sichemorum civitatem sale legitur consevisse, in perpetuæ vastitatis & detestationis symbolum. Simile factum erat Imperatoris *Friderici Barbarossæ*, qui Mediolanum anno obsidionis septimo captum, dirutis mœniis, solo æquavit, & aratro per circuitum ducto, solo salem, in perpetuæ vastitatis symbo-

ſymbolum, inſpergi juſſit, Anno 1165. *Naucleius*, in Chron.

Humorem ſalſum, quem terra quandoque vomit, ſegetes necare ſcribit *Palladius*, lib. 10. ubi contra peſtem hanc remedia tradit. Palàm hinc eſſe judico fœcunditatem aquæ Niloticæ non eſſe acceptam ferendam nitroſitati vel ſalſugini ejus.

III. Nili aqua ſaluberrima eſt: At nitrum inter venena habetur; *Maiolus* tom. 1. Colloq. 18.

IV. Nili aqua mirum in modum pinguefacit, ut ſuprà monſtravimus: At nitrum vi corroſivâ & tabefactivâ præpollet; unde condiendis cadaveribus humanis olim adhibitum legitur; *Herodotus*, lib. 2. τὰς σάρκας τὸ νίτρον κατατήκει. καὶ δὴ λείπεται τοῦ νεκροῦ τὸ δέρμα μοῦνον καὶ τὰ ὀστέα. Vide *Kirchmannum*, lib. 1. De funerib. cap. 8.

§. 8. Sed contradicere nobis videtur *Franciſcus Valleſius*, Sacræ Philoſoph. cap. 34. ubi ſummam aquæ ſalſæ fœcunditatem prædicat, & aquarum marinarum ſalſarum, quæ fœcundiſſimæ ſunt, exemplo probat. Attamen parùm hoc nos movet. Nec enim fœcunditatem ſimpliciter omnem, reſpectu omnium plantarum & animantium, ſalſis aquis adimimus, ſed reſpectu ſaltem eorum animantium & plantarum quæ dulcibus aquis aſſueverunt; quales ſunt Ægypti fruges & animantia terreſtria, quæ Nilum bibunt, ejuſdem cum noſtris frugibus & animantibus naturæ, quæ ab aquarum ſalſarum potu tanquam noxio penitus abhorrent.

§. 9. Sed quid ad experimentum *Libavii* reſpondebimus? Dederint ſanè aquæ Niloticæ in nitrarias immiſſæ nitrum: ideóne verò illud vel aquis iſtis nativum, vel omnibus commune eſſe ſequetur? Certè longè alia eſt noſtra ſententia. Nitrum igitur potiùs ab Ægypti ſolo nitroſo accepiſſe quàm ei intuliſſe dixero, idque forſan è locis aliquibus, in quibus diutiùs commorata & à Sole excocta aqua fuerat, quæque alto Nili limo obducta non fuerant, ut tantò faciliùs tranſſudare nitrum potuerat.

CAPUT XXV.

Exitus Nili & ſeptem ejus Oſtia.

Exoneratur Nilus in mare mediterraneum, §. 1 *Oſtia Nili ſeptem* 2. *duo præcipua Canopicum & Peluſiacum: Cairus urbium maxima & populoſiſſima*, 3. *Alexandria*, 4. *Oſtium Canopicum unde dictum*, 5. *Hirundinum nidi ad oſtium Heracleoticum*, 6. *Damiata ad oſtium Peluſiacum*, 7. *Delta*, 8. *dimenſio oſtiorum Canopici & Peluſiaci*, 9. *Termini Ægypti*, 10, 11. *Cur Ægyptus in ſcriptura celebris. ibid. Inſula Meroe*, 12. *Oſtia Nili ſintne naturâ an arte facta*, 13, 14. *Ægyptus quo ſenſu dicatur Nili donum*, 15. *Tria tantùm Nili oſtia memoratu digna modò reliqua*, 16.

§. 1. HActenus quintum commentationis noſtræ Niloticæ caput, De qualitatibus aquarum Niloticarum: Sequitur ſextum & ultimum, De exitu & oſtiis Nili, nonnulliſque nobilibus ejus propaginibus aliis.

Exit nobiliſſimum Nili flumen, in Ægypti finibus, in mare Mediterraneum, quod per longa ſpatia nigri ſui coloris tenax inficit & colorat. Hinc illud *Catulli*,

Sive qui ſeptemgeminus colorat
Æquora Nilus.

Myſtica Ægyptiorum Philoſophia Nilo *Oſiridis*, Mari *Typhonis* nomen indidit, indéque *Oſirin* à *Typhone* occiſum aſſeruit, quia Nilus in mare erumpens abſorbetur; *Euſebius*, De præparat. Evang. lib. 3. cap. 2.

§. 2. Oſtia per quæ in mare Mediterraneum exoneratur, apud autores claſſicos & veteres decantatiſſima ſeptem ſunt: Scripturâ quoque teſte; *Jeſaiæ* xi. 15. Unde *Maroni* & *Catullo*, *ſeptemgeminus Nilus*; *Naſoni*, *ſeptemplicis oſtia Nili*, *digeſtus in ſeptem cornua Nilus*, *ſeptemflua flumina Nili*. Græcis Νεῖλος ἑπτάπορος, ἑπτάστομος. *Dionyſius* Periegetes Ἑπτὰ διὰ στομάτων εἰλιγμένος εἰς ἅλα πίπτει.

Nomina ab urbibus indita ſunt: *Canopicum* (quod nonnullis *Heracleoticum* quoque dicitur, teſtibus *Ptolemæo*, *Strabone*, & *Tyrio*:) *Bolbiticum*, *Sebennyticum*, (cujus vina commendat *Plinius* lib. 14. c. 17.) *Pharmiticum*, (*Herodoto Bucolicum*, autore *Sabellico*, Ennead. 1. lib. 3.) *Mendeſium*, *Taniticum*, (*Herodoto Saiticum*,) *Peluſiacum*.

Diſcrepant autores nonnihil in nominibus & ordine, ut videre eſt apud *Ptolemæum*, *Herodotum*, *Plinium*, *Melam*, *Ammianum*, *Ortelium*.

Numerum quod attinet, fatentur plerique plura eſſe. Et *Plinius* quidem lib. 5. cap. 10. undecim reperiri, ſupérque quatuor. Septem tamen quæ recitavimus celeberrima eſſe omnes veteres affirmant. Unde *Euſtathius* in *Dionyſium*, Ὁ γεωγράφος λέγει, δίχα μὲν ἑπτὰ τούτων στομάτων καὶ ἄλλα εἶναι ἄσημα, ψευδοστόματα.

Attamen *Willermus Tyrius*, Hiſtoriæ ſuæ lib. 19. cap. 22. conſentiente *Marino Sanuto*, lib. 1. part. 1. cap. 6. miratur à veteribus Nilum *ſeptemfluum* eſſe

esse appellatum, cùm non nisi quatuor ostiis mari se immisceat: Quorum primum ait esse inter urbes maritimas *Tafnin* & *Pharamiam*, versùs Syriam; alterum, apud *Damiatam*; tertium, apud *Sturionem*; quartum, apud *Ressith*. Existimat ergò vel antiquissimâ seculorum serie faciem locorum alteratam, fluviique alveos esse mutatos, vel pristinæ ætatis viros veritatem non assecutos, vel præcipua olim & perpetua ostia fuisse quatuor, eáque remansisse, quibus perpetuò in mare devolvatur Nilus; alia verò obscuriora, per quæ non nisi incrementi tempore aquas in mare emiserit, quæ inter ostia jam non computentur, quia torrentium more certis tantummodo temporibus defluunt.

Nos primam & tertiam conjecturam facilè admittimus: etsi probabiliùs dici nobis videtur, ostia quædam olim insignia posterioribus seculis esse oblimata. Errorem enim veteribus imputare magnæ fuerit temeritatis, præsertim cùm Scripturæ quoque autoritate nitatur recepta sententia.

Nili Danubius hâc parte æmulus, qui & ipse septem ostiis in mare exoneratur, & hoc nomine à *Strabone* quoque ἑπτάστομος appellatur. Nomina ostiorum Danubii, apud *Plinium*, & *Ammianum* hæc occurrunt; *Peuces*, *Naracustoma*, *Calonstoma*, *Pseudostoma*, *Boreostoma*, *Spireostoma*. Septimi nomen non exprimitur. Vide *Stuckium*. Schol.in Periplum Ponti Euxini.

§. 3. Sunt verò inter hæc septem ostia reliquis celebriora duo extrema, Canopicum & Pelusiacum, in quæ Nilus dividitur juxta Babyloniam, quam hodie *Cairum* vocant; *Rhodiginus*, LL.lib.8. cap. 11. *Aloysius Cadamustus*, lib. 2. Navig.cap.55, 56. *Ludovicus Vartomannus* lib. 1. peregr. cap. 1.2. *Brocardus*, in Descript. Terræ sanctæ. Etsi reclamant *Scaliger*, Exercit.260.& *Tyrius*,lib.19.cap.14 Quos tamen conciliant *Josephus*, lib. 2. cap. 5. & *Brocardus*, qui Babyloniam & Cairum duo esse oppida scribunt, sed in unum conjuncta. *Jovius* scribit Memphim vasto ambitu tres ingentes urbes complecti, quæ raris inter se junctæ ædificiis unam efficiunt,quarum frequentissimam hodie *novum Cairum* appellant, lib.18.

Est autem Cairus tantæ amplitudinis urbs ut parochias contineat 24000, culinas publicas 15000, plateas 24000,quæ singulæ noctu clauduntur. Ambitus est milliar. minorum 8.

Quàm sit populosa inde licet æstimare, quòd aliquando in ea trium mensium spatio mortui sint homines 2400000; *Johannes Tucherus*, in Itinerario.

Camelos alit 8000, qui perpetuò aquam ex Nilo in urbem gestant.

Memorabile est quod de pullorum in hac urbe ex ovis exclusione absque gallinarum incubatione refert *Scaliger*, Exercit. 23. *In Ægypto*, inquit, *ad Cairum furnos construunt, alii alio multiplici fornice imposito: in quorum tholi supremi medio foramen est, per quod caloris vis, quæ immodica possit officere, subit atque exhalat. In imo ignem accendunt temperatum: ovorum multas centurias in fornicũ superiore planitie disponunt: Statis diebus erumpit pullorum turba,quos illi non numero sed mensurâ venales habent. Modiolum statuunt sine fundo, quem ubi implerunt, tollunt. Neque hac fabula est, sed fabulæ illi ipsi qui negant.* Hæc *Scaliger*. Refert idem *Jovius* lib. 18. Hoc, inquit in Hodœporico *Gulielmus Baldensel*,*mirabilius reputo omnibus quæ in his locis vidi*.Idem omnes testantur qui loca isthæc peragrârunt. Similes excludendi ova modos vide apud *Baptistam Portam*, Mag.nat.lib.2.cap.24.§.4. & *Mizaldum*, Memorabil. cent.6.aph.71.

Non procul à *Cairo* olim ostentata Palma antiquissima, quæ Virgini *Mariæ*, se inclinâsse fertur ut inde dactylos colligeret, iterúmque se erexisse. Succisam à paganis sequenti nocte, consolidatam & erectam aiunt;*Marinus Sanutus*,lib. 3.part.14.c.12.

Vicinus huic Balsami pretiosi ortus & hortus, qui fonte parvo rigatur, in quo, ut traditio habet, *Maria* Virgo puerum JESUM lavit: unde virtus illi ad balsamum proferendum; *Gulielmus Baldensel*.

Est & hoc memorabile, quòd circa urbem hanc nulli arbori folia decidunt,ne viti quidem,*Theophrastus*, lib.1.c.6.& 15. *Plinius*, lib. 16.c.21.

Olim *Memphis* dicta urbs hæc: quamvis contradicat *Scaliger*, Exercit. 260. E quo tamen discimus conditorem ejus fuisse *Hucha Hibnu Nasich*, qui ex Arabia cum exercitu Africæ partem invasit, & urbem sibi condidit, quam *Cairoam* nominavit, quæ (ut *Scaligero* placet) Arabica vox est, & Latinis significat *comitium* aut *concilium*.

Tyrius tamen conditorem ejus laudat *Joharem* Principem militiæ Regis Africani *Mebezedinallæ*, vel *Elmebedinallæ*. Nisi alia forsan,quod tamen verisimile mihi non videtur, urbs est *Chare*, quod ei nomen à *Tyrio* tribuitur. Significat autem *Cahere*, *Tyrio* interprete, victorem; quia victoris urbs futura domicilium erat.

In Scripturâ Jesaiæ xix. 13. & Ezech.xxx.13,16. *Noph* appellatur. Ex sententia *Hieronymi*, *Chaldæi Interpretis*, & aliorum olim *Ninive* quoque appellata est, ut ostendit *Pineda*, De reb. gest.*Salom*.lib.4. c.12. Juxta hanc, inquam, urbem Nilus in duo ingentia brachia dividitur, quorum unum, nempe Pelusiacum, ad ortum; alterum, Canopicum, ad occasum in mare Mediterraneum influit.

§. 4. Canopicum ostium insigne est insigni urbe, quam in extremitate habet, Alexandriâ, olim ab *Alexandro Magno* conditâ, quæ Turcis hodie *Scanderia* appellatur, (*Alexander* enim Arabicè *Scander* dicitur; *Tyrius*, lib. 11. cap. 30.) Quam eleganter describit *Ammianus Marcellinus*, lib. 22. *Alexandria*, inquit, *vertex omnium est civitatum. Quam multa nobilitant, & magnificentia conditoris altissimi, & architecti solertia Dinocratis, qui cùm ampla mœnia fundaret & pulchra, penuriâ calcis ad momentum parùm repertæ omnes ambitus lineares * farinâ respersit: quod civitatem pòst alimentorum uberi † copiâ circumfluere fortuito monstravit indicio. Inibi auræ salubriter spirantes, aer tranquillus & clemens: atque ut periculum docuit per varias collectum ætates, || nullo penè die incolentes hanc civitatem Solem serenum non vident. Hoc littus nè fallacibus & insidiosis accessibus affligeret, ut antehac, navigantes discriminibus plurimis, excogitavit in ** portu †† Cleopatra turrim excelsam, quæ Pharos à loco ipso cognominatur, prælucendi navibus nocturna suggerens ministeria.* Hactenus *Marcellinus* de veteri Alexandria. Videatur egregia quoque descriptio apud *Diodorum Siculum*, lib. 17. Insignis platea mediam dividit, quæ à porta una ad alteram excurrit, longitud. stad. 40. latitud. ped. 100. De situ ejus legatur quoq; *Hegesippus*, lib. 4. c. 27. Muri extendebantur ad 600 pass. Figura erat chlamydis Macedonicæ; *Josephus*. *Herodianus* scribit incolarum multitudine nulli eam urbi cessisse nisi soli Romæ.

* Vide *Pier. Valer.* lib. 25. sub finem.

† Ex se tamen alimentorum copiam non habet, nec siugum quidpiam, nisi quantum è superioribus Ægypti partibus per navigia ministratur: sita in confinio culti soli & arentis solitudinis, *Tyrius*, lib. 19. c. 25, 26.

|| Recentiores scribunt sat frequentes Alexandriæ pluvias esse.

** Alii conditorem ejus *Julium Cæsarem* laudant, *Tyr.* lib. 29. cap. 26.

†† Fuit hic portus difficillimi aditûs, intus tamen spatiosissimus & commodissimus, magnitudine stadiorum 30, *Josephus*.

Hoc verò inprimis memorandum de Alexandria, quòd Musarum olim fuerit sacrarium longè celeberrimum, quod nè Athenis quidem Græcorum florentissimis cessit, in quo sub Imperio *Tiberii*, *Caii* & *Claudii* Philologia & Philosophia ad perfectionis ferè provecta fastigium. Erat inibi bibliotheca toto orbe famigeratissima à * *Ptolomæis* regibus instructa, in qua ultra viginti myriades librorum erant, quibus brevi se adjecturum triginta myriades *Demetrius Phalereus* promittebat. Quæ ut Legis *Mosaicæ* accessione locupletaretur, à *Ptolomæo Philadelpho* ex Judeâ LXXII Interpretes Alexandriam accersiti sunt, qui in Græcam linguam *Mosis* Legem verterent: quæ aureis descripta literis bibliothecæ est inserta. Historiam pulcherrimè descripsit *Aristeas* legatus Regius. Plura videantur apud *Pierum Valerianum* lib. 18. & *Hospinianum*, in tractatu De orig. Biblioth. Ex tota olim Ægypto maximo numero hospites Alexandriam confluxerunt, propter urbis amœnitatem & delicias, ibique plurimi diutiùs commorati agriculturam neglexerunt. Unde Regio tandem edicto cautum est nè ultra viginti dies exteri in civitate versarentur. Utque longioris moræ prætextus omnibus præcideretur, lex erat quâ, si quis vocatus in jus esset, intra quinq; dies ut negotium expediretur, severè mandabatur; *Aristeas*. Philosophia quæ Alexandriæ colebatur plerumque erat ἐκλεκτική. Quam ità describit *Clemens Alexandrinus*, φιλοσοφίαν λέγω οὐ τὴν Στωϊκὴν, οὐδὲ τὴν Πλατωνικὴν, ἢ τὴν Ἐπικούρειόν τε καὶ Ἀριστοτελικὴν, ἀλλὰ ὅσα εἴρηται παρ' ἑκάστῃ τῶν αἱρέσεων τούτων καλῶς δικαιοσύνην μετ' εὐσεβοῦς ἐπιστήμης ἐκδιδάσκοντα· τοῦτο σύμπαν τὸ ἐκλεκτικὸν φιλοσοφίαν φημί. Hæc tutissima philosophandi ratio mihi videtur, quæ libertate gaudet, & nulli mortalium se mancipat: quæ si nobis felicitas contingeret, næ Philosophiam haberemus longè nitidiorem & expeditiorem.

* Creditur primùm instituta ab *Aristotele*, à *Ptolomæis* verò magnificè aucta, *Strabo*, l. 13.

Etsi verò jamdudum Alexandriæ valedixerunt Musæ, emporium tamen nobilissimum etiamnum est, ad quod ex Asia, Africa & Europa mercatores magno numero confluunt. Unde singulis annis tributum ex Ægypto avehit *Sultanus*.

Ezech. xxx, autore *Hieronymo*, *No* appellatur.

§. 5. Cæterùm *Canopicum* hoc ostium ab urbe *Canopo* dictum, cui nomen impositum plerique scriptores produnt à *Canopo Menelai* gubernatore, qui mortuus illic & sepultus; *Strabo*, lib. 17. *Tacitus*, 2. Annal. Docti verò Ægyptiorum olim existimabant vocem esse Ægyptiacam, quæ significet, si Latinè reddas, *aureum solum*; *Aristides*, ex traditione cujusdam sacerdotis. Plura de Canopo vide apud *Laurentium Pignorium*, in Expositione mensæ Isiacæ, pag. 38.

Tandem *Canopus* iste in Deorum numerum ab Ægyptiis est relatus & sub statuæ figurâ cultus, de cujus certamine cum Chaldæorum Deo, Igne, jucunda legatur historia, in *Simone Maiolo*, tom. 2. Colloq 1. ubi de Ægyptiorum Diis disserit.

§. 6. Porrò memorabile est quod de Canopico seu Heracleotico ostio refert *Plinius*, lib. 10. c. 33. *Hirundines*, inquit, *in Ægypti Heracleotico ostio molem continuatione nidorum evaganti Nilo inexpugnabilem opponunt, stadii ferè unius spatio, quod humano opere perfici non posset*. Addit ibidem *Plinius*, *In eadem Ægypto juxta oppidum Copton insulam esse Isidi sacram, quam, nè laceret Nilus, eædem hirundines immuniunt opere, incipientibus vernis diebus, paleâ & stramento rostrum ejus firmantes, continua-*

continuatis per triduum noctibus, tanto labore ut multas in opere emori constet, militiâ hâc cum anno ipsis redeunte. Meminit hujus operis *Papinius*, in 3. Sylv.

——Te præside noscat
Unde paludosi fœcunda licentia Nili,
Cur vada destituant & ripa coerceat undas
Cecropio signata luto.

Notat hîc *Johannes Baptista Pius*, *Cecropium lutum* esse hirundinum aggerem. Appellationis rationem vide apud eundem, & *Boccatium*, l. 9. c. 8. Idem opus *adepta* Coptica appellat senex ille apud *Apuleium*, lib. 2. De quo vide *Beroaldum*, in Comment.

Hactenus de ostio Canopico, quod hodie ostium *Rosetto*, ab urbe appellatur.

§. 7. Pelusiacum in extremitate nobilem habet urbem Damiatam, quam *Pelusium* olim nominârunt. Eadem olim quoque *Æliopolis* appellata ab *Ælio* principe, qui triplici muro eam cinxerat; autore *Sabellico*. In Scriptura *Sin & Libna* dicitur, teste *Aria Montano*. Ezech. XXX. 15. *Sin* ab *Hieronymo* & *Paraphraste Chaldaico* vertitur *Pelusium*. *Belberis* quoq; nominari Pelusium scribit *Tyrius*.

Suidas urbem hanc *Ægypti clavem* nominat, quia in extremitate Ægypti est, & per eam ex aliis provinciis transitus in Ægyptum permittitur, indéq; ex Ægypto in Syriam & Græciam. Quam in rem ante Damiatam in medio Nilo olim erecta erat turris fortissima, à cujus pede maximæ catenæ protendebantur ad muros civitatis, ut nemini in Ægyptum vel ex Aegypto transitus pateret, nisi permittente Rege vel Prorege. Hâc viâ naves oneratæ ex India in Syriam, Armeniam, Antiochiam, Græciam & Cyprum tendebant; *Jacobus de Vitriaco*, lib. Histor. 3. *Marinus Sanutus*, lib. 3. part. 6. c. 22.

Circa urbem hanc olim variâ fortunâ pugnatum est à Christianis & Barbaris, ut videre est in belli Sacri Scriptoribus, Nilo jam huic, jam alteri parti favente; qui anno 1218 Saracenos 1500 hausit.

Creditur Damiata metropolis fuisse terræ Jessen, quam Israelitis olim *Pharao* concessit; *Jacobus de Vitriaco*; *Oliverius Scholasticus*: sita in extremitate terræ Jessen versùs Occidentem. Altera extremitas versùs Orientem habuit nobilem olim civitatem Tampnin, quæ Nili quoque brachio nomen dedit: unde Damiatam usq; sunt milliar. lx; *Marinus Sanutus*, lib. 3. part. 14. c. 12. Observandum ergò Pelusium non esse extremam urbem Nili versùs Syriam, uti nec Pelusiacum ostium extremum est. Antequam enim in mare devolvatur Pelusiacum, aliud ex se ostium gignit, quod extremum, & *Carabes* vulgò dicitur: cui vicina fuit olim insignis urbs Pharamia, multo frequentata habitatore, ut *Tyrius* loquitur, lib. 20. cap. 15. modò planè deserta. Pelusiaci tamen potior ratio habetur, propter brachii & urbis nobilitatem; quódque extremum illud Carabes exigua tantùm Pelusiaci propago sit, & (quæ princeps ratio mihi videtur) extra Ægyptum procurrat, adeóq; Aegypti, quam Delta continet, limes non sit. Nisi enim conjectura me fallit, ostium hoc idem est cum torrente *Mitzraiim*, de quo prolixè egimus cap. 1. §. 6. Vide *Marinum Sanutum*, lib 3. part. 14. c. 12.

Urbis & ostii Pelusiaci lentem celebrant Poetæ: *Martialis*, in Xen. 9.

Accipe Niliacam Pelusia munera lentem.

Virgilius, lib. 1. Georg.

Nec Pelusiacæ curam adspernabere lentis.

Non quòd ibi genus hoc leguminis gignatur vel maximè, sed quòd è Thebaide & omni Aegypto per rivum Nili illuc plurimùm deferatur; *Hieronymus*, ad cap. 30. Ezech. Sunt qui putent causam cur Alexandrini præ reliquis Agyptiis infestentur elephantiasi (qui morbus aliàs peculiaris Aegyptiorum; *Plinius*, lib. 26. c. 1.) in lentes quoq; Pelusiacas referendam esse, quibus creberrimè vescuntur; *Bruyerinus*, De re cibar. lib. 1. c. 19. *Georgius Bertinus*, Medicinæ suæ lib. 8. c. 25. Crediderim tamen potiorem istius mali causam esse immoderatum salsamentorum usum, quibus sanguis, melancholia & flava bilis quasi torrentur. *Fernelius*. De part. morb. lib. 6. c. 19. asininis quoq; carnibus quæ in crassos & glutinosos humores abeunt, malum hoc adscribit: Atqui Aegyptiis quoq; asininæ carnes sunt familiares; *Bruyerinus*, loco antè allegato. Nè quis tamen fortè rudior etiam Nilum nostrum inter causas elephantiasis referat, versiculis Poetæ sinistrè acceptis,

Est Elephas morbus, qui propter flumina Nili
Nascitur, Aegypto in media nec præterit unquam.

Propter hîc non causam sed locum denotare noverit. Morbi hujus dolorem Aegyptii olim humano sanguine consueverunt lenire. Unde malum hoc postquam Reges invaserat, Aegyptiis cœpit funebre esse, Regibus adversùs id præsidium in sanguine humano quærentibus, & in balneis folia sanguine temperantibus; *Fracastorius*, De morb. contag. lib. 2. cap. 13. ex *Plinio*, lib. 26. c. 1.

§. 8. Potissima igitur & optima Aegypti pars inter duo hæc ostia, Canopicum & Pelusiacum, sita est, & veteribus *Delta* à figura literæ Græcæ Δ appellata, quam repræsentat schemate suo triangulari: Cujus duo latera sunt duo ostia, Canopicum & Pelusiacum, in quæ diffundit se Nilus ad Cairum; basis est ora maritima inter Damiatam & Alexandriam, quam mare Mediterraneum præcingit. *Hanc ob causam*, inquit *Plinius*, *inter insulas quidam Ægyptum retulere, ità se findente Nilo, ut triquetram terræ figuram efficiat. Aegyptum*, inquit *Martianus Capella*, De nupt. Philolog. lib. 6. *Nili fossis*

insulam vocitare. Εἰς ποσὸν δὲ κλύζεται ὕδασιν ἡ Αἴγυπτος, ὥστε καὶ ποταμία νῆσος πρὸς τινῶν λέγεται, *Eustathius*. Hinc Nilo tanquam coronâ Aegyptum cingi canit *Orpheus*, —— ἱερῆς τε πόληος Αἰγύπτου, ἃς περὶ Νεῖλος ἀγάρροος ἐστεφάνωται. *Eratosthenes*, apud *Strabonem*, lib. 17. figuram Aegypti literæ Græcæ ν comparat. *Scylax*, in Periplo, pag. 148. securi confert: Verba ejus sunt, Ἔστι δὲ ἡ Αἴγυπτος τοιάδε τὴν ἰδέαν, ὁμοία πελέκει. ἔστι γὰρ κατὰ θάλασσαν πλατεῖα, κατὰ δὲ μεσόγειαν στενοτέρα, κατὰ δὲ Μέμφιν στενωτάτη, ἔπειτα δὲ εἰς μεσόγειαν ἀπὸ Μέμφεως ἰόντι πλατυτέρα· κατὰ δὲ τὸ ἀνώτερον αὐτῆς πλατυτάτη.

§. 9. Canopici ostii longitudo, secundùm *Plinium*, est pass. 146000; secundùm recentiores Geographos, mill. Germ. 28: Pelusiaci, 256000, (nisi corrupti sint numeri *Pliniani*, quo nihil frequentius in *Plinio* est, ut multis in locis conqueritur *Budæus*, De Asse) Secundùm recentiores, milliar. Germ. 30. Recentiorum dimensionem approbat *Sanutus*.

Distantia ostii Canopici à Pelusiaco, secundùm recentiores, est milliar. 40. Cum recentiorum calculo convenit *Strabo*, cui totius insulæ ambitus est stadior. circiter 3000. *Boterus* utrique brachio adscribit milliar. parva 70. Inter Damiatam & Alexandriam numerat milliar. Italica 300 circiter: qui calculus à nostro non abit. *Marinus Sanutus* 200 mill. numerat. Vide eundem, lib. 2. part. 4. c. 25. Totam verò latitudinem, à Pharamia Alexandriam usque, ait, milliar. habere 268; lib. 3. part. 14. c. 12.

§. 10. Tota enim Aegyptus hisce angustiis non continetur: sed initium sumit versùs Austrum à Syena, quæ *Asna* hodie appellatur. Est ea urbs nobilis propter Nilum, milliar. Germ. supra Cairum 28. circiter, (*Sanutus* numerat milliar. Italica 140) sub Cancri Tropico sita: Unde in solstitio æstivo meridie gnomen umbram nullam projicit; *Strabo*, lib. 2. *Plinius*, lib. 2. cap. 73. *Lucanus*, lib. 2. Ab hac urbe Aegypti regio incipit, valde tamen angusta ad usque Delta, quia utrinq; maximis montibus arctatur, qui Nilum quoque angusto premunt alveo, & ingentibus rupium obstaculis furentem licèt coercent, donec locorum difficultates eluctatus in Aegypti planitiem ad Delta pervenit, ubi angustiarum impatiens statim sese dividit in duo ingentia brachia, de quibus hactenus.

Obiter & hoc observetur, geminum Delta à nonnullis in Aegypto agnosci, nempe minus & majus. Illud omnibus notum intra duo Nili ostia extrema continetur, & initium à Cairo sumit: Hoc altiùs Syenem usq; adscendit, indéq; ad mare Mediterraneum porrigitur, *Eustathius*, in Com. in περιηγ. *Dionysii*, edit. *Henrici Stephani* pag. 35. Scribit *Xenophon* in Thracia quoque locum esse qui *Derta* appellatur.

§. 11. Hinc Aegypto terminum *Herodotus* autoritate oraculi Hammonici assignat, in *Euterpe*. Cùm enim civitatum *Mareæ* & *Apiæ* incolæ, qui Ægypti loca Libyæ contermina habent, non Ægyptii sed Libyci & à sacris & ritibus Ægyptiorũ immunes haberi vellent, eò quòd extra Delta habitarent, ad *Hammonem* legatos sciscitatum miserunt: Quibus respondit, *Non posse eos ab Ægyptiorum sacris immunes esse, cùm omnis illa tellus sit Ægyptus quam Nilus ingressus rigat, sintq; Ægyptii etiam qui infra Elephantinam urbem habitant & Nilum bibunt.* Est autem Elephantina Syenæ vicina; *Strabo*, lib. 17. Sed longè certius hanc in rem oraculum Divinum est *Ezech*. xxix. 10. ubi termini Ægypti constituuntur *turris Syenæ & terminus Cuschi*, versùs Septentrionem, quâ Ægyptus partim Syrio mari partim Arabiâ Petræâ, quæ terminus est posterorum *Cuschi*, definitur. Vide & cap. xxx. Longitudo ab ostio Pelusiaco ad Syenem est stad. 2000; *Josephus*, libr. 4. De bello Judaico, cap. 37.

Est autem Ægyptus in Scriptura celebris ob quinq; potissimùm causas: Quarum I. Deportatio *Josephi* in Ægyptum, ejúsque varia in hoc regno fortuna; Gen. xxxix, & seqq. II. Peregrinatio filiorum Jacobi in Ægyptum frumenti emendi gratiâ instituta, Gen. xlii, & seqq. III. Migratio totius Ecclesiæ in Ægyptum, ejúsque mirabilis in ea multiplicatio & afflictio, Gen. xlvi, & seqq. Exod. 1. IV. Miranda Ecclesiæ ex Ægypto liberatio insignibus plagis decem procurata, Exod. vii. & seqq. De quibus eleganter disserentem vide *Pererium* in Exod. vii. V. Fuga & exsilium CHRISTI infantis in Ægyptum, Matth. ii. Fertur autem Heliopolin & Babyloniam devenisse Virgo mater cum infante CHRISTO, ibidémque templum ingressa, in quo erant tot idola quot anni dies, nempe CCCLXV, quæ ad CHRISTI & Virginis ingressum omnia corruerunt, uti *Marinus Sanutus* scribit lib. 3. part. 14. cap. 12. quod prædictum existimat *Jesaiæ* xix. 1. *Adscendat Dominus super nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & movebuntur idola Ægypti*. De eodem miraculo è Patribus prolixè disserit *Baronius*, Annal. tom. 1. ad annum CHRISTI I. nu. 42, 43, 44, 45. Hæc verò idolorum ruina cùm nunciata esset *Afrodosio*, ad templum cum exercitu suo venisse, infantem adorâsse, & hæc ad exercitum verba fecisse dicitur, *Hic nisi esset DEUS Deorum nostrorum, coram eo se non prosternerent. Nos ergò, quod Deos nostros facere videmus, nisi cautè fecerimus, omnes sicut Pharao periculum incurremus.*

§. 12. A Syena magìs ad Austrum, inter Tropicum Cancri & Æquatorem, Nili insula est omnium maxima & celeberrima, Meroe, quæ *Gueguere* hodie appellatur: ab *Herodoto* clypeo assimilata, lata

lata 1000 stad. longa 3000 stad. ditissima auri, argenti, cupri, ferri, ebeni: In qua tantæ molis arundines inveniuntur ut singulæ scaphiis singulis, imò duobus, ædificandis sufficiant: Καλαμὸς δὲ ἦν, inquit *Heliodorus*, lib. 10. δίχα τετμημένος, καὶ τεμὼν ἑκάστην σκαφίον παρεχόμενος. Similes Gangis quoque littora dicuntur ferre; *Stuckius*, in Periplo maris Erythr. pag. 97. Urbs ejus primaria ab insula nomen habet, & *Meroe* dicitur, quam Æthiopiæ metropolin *Herodotus* appellat. Abyssinorum opinio est Reginam Sabæ hujus insulæ Dominam fuisse. Videatur *Strabo*, libr. 14.

§. 13. Sed ab extremis ad intermedia Nili ostia nos convertamus, quæ fluminis an hominum industriâ sint facta incertum est. *Aristoteles* in Meteor. existimat omnia Nili ostia esse manufacta, excepto uno Canopico. *Niphus* commentator rationem addit; Quia reliqua ostia sunt formosiora quàm ut fluminis impetu facta videri possint. Sed paucos inveniet suffragatores *Aristoteles*, ni firmiora opinionis suæ argumenta produxerit. Etsi in confesso apud scriptores est, fossas quasdam intra Delta manufactas esse, ut tantò faciliùs & uberiùs in agros derivari Nilus possit. Imò totum Nilum à consueto tramite abduxisse, & humo ad stad. 100 congestâ in montium angustias conjecisse dicitur primus Ægypti Rex *Menes*; *Sabellicus*, Ennead. 1. lib. 3.

Herodotus in Euterpe ὀρυκτὰ στόματα duo nominat, *Bolbitinum* & *Bucolicum*: & hoc respectu Nilum πεντάστομον appellat, δηλαδὴ, ut explicat *Eustathius*, κατὰ τὰ φυσικὰ στόματα, ὡς δύο τινῶν ὀρυκτῶν ὄντων.

§. 14. Non tamen sequitur, si reliqua ostia aliquantò sunt elegantiora & exquisitiora Canopico, idcirco omnia manufacta esse, ut *Niphus* arguit. Fieri enim potuit ut ad naturam ars accesserit, & ostiorum nonnullorum deformitates emendârit. Nec enim dubium est quin limo subinde obducta, ab Ægyptiis purgata & reformata sint. Hinc *Tranquillus*, de *Augusto*, cap. 18. *Aegyptum in provinciæ formam redactam, ut feraciorem habiliorémque annonæ urbicæ redderet, fossas omnes in quas Nilus exæstuat, oblimatas longâ vetustate, militari opere detersit.*

§. 15. Putant veterum nonnulli totam olim Ægyptum fuisse paludem, seu aquis obrutam, tandem verò paulatim exsiccatis aquis & in alveos defluentibus emersisse, vel potiùs ex limo quem Nilus vehit accumulato & exaggerato natam. Quo nomine Ægyptus *Nili donum* appellata; *Herodotus*, libr. 2. *Strabo*, libr. 17. *Plinius*, libr. 2. cap. 85. & libr. 24. cap. 2. *Aristoteles*, libr. 1. Meteor. *Seneca*, libr. 6. cap. 26. *Eustathius*, in *Dionysium* Perieg. Quibus contradicit *Brodæus*, Miscell. lib. 3. cap. 5. ubi ait nè decem quidem mundi ætates ad spatium istud humo explendum sufficere. Est tamen & alia hujus appellationis ratio; Quicquid enim in Ægypti terra foecundum est, à Nilo aliunde advehitur; siquidem propria Ægypti terra nitrosa esse perhibetur & tota sterilis. Hinc est quòd extra Nilum in Ægypto fontes ad potum idonei ferè nulli sint, & Nili aqua longiùs advecta incolis vendatur.

§. 16. Hâc nostrâ tempestate è septem principalibus Nili ostiis tria tantùm aiunt esse reliqua memoratu digna, Canopicum, Bolbiticum, Pelusiacum.

CAPUT XXVI.

Describitur lacus Mœridis, *& fossa Regis* Sesostris.

Præter ostia aliæ Nili propagines, §. 1. Mœridis *lacus unde dictus*, 2. *Magnitudo ejus & canalis*, 3. *Descriptio ex* Jovio, 4. *Usus ejus*, 5. *Insula*, 6. *Portentosa Pyramis ibidem*: *Vectigal*, 7. *Mareotidis lacus*, 8. *Vina Mareotica*, 9. *De solatio lacûs*, 10. *Insula natalis*, 11. *Fossa Regis* Sesostris, 12. *Infelix multorum conatus in perfodiendo Isthmo*, 13, 14, 15, 16. *Nilus Aegyptum facit munitam*, 17. *Nilus cum aquæductibus Romanis à* Cassiodoro *comparatus*, 18.

§. 1. AB ostiis Nili ad nobiles quasdam ejusdem propagines progredimur: Quarum tres descriptione dignæ; duæ ad Occasum, lacus *Mœridis*, & *Mareotidis*; una ad Ortum, fossa Regis *Sesostris*.

§. 2. *Mœridis* lacui nomen dedit *Myris* vel *Mœris* Ægypti Rex, anno à mundo condito 3255, quinto Regis *Manassis* anno. Hic *Miris* quartâ milliaris nostri parte à Cairo, secundùm recentiores, (etsi *Plinius* intervallum longè majus facit: *Diodorus* 10. stad. supra urbem effossam dicit, lib. 1.) ingentem lacum effodi, & aquis Niloticis per canalem eò derivatis repleri curavit.

§. 3. De magnitudine scribit *Mela*, lib. 1. cap. 9. in circuitu eum patere 20000 pass. *Plinius* mirum in modum auget ambitum, aitque fuisse 250000 pass. vel, secundùm *Mutianum*, 450000: quocum consentit *Diodorus Siculus*, qui ambitum scribit fuisse stad. 3600. Recentiores, quibus potiùs hâc parte fides habenda, ambitum faciunt milliar. Germ.

Germ. circiter 8. Si minora essent milliaria, *Mela* consentiret. Profunditas nonnullis in locis fuit cub. 50; *Diodorus Siculus*.

Vastitatem hujus lacûs inde est conjicere, quòd Nilo senis mensibus expoto vix expleri potuerit, quòd septem dierum navigatione, adverso Nilo, à mari navigatus sit; *Sabellicus*, Enn. 1. lib. 3

Canalis per quem aqua in hunc locum derivatur, secundùm recentiores dimid. mill. Germ. longus, & stadium latus est. *Diodorus Siculus* longitud. ait esse stad. 85. & jugeri latitud. quo admitti & remitti aqua potest, etsi non sine ingentibus impensis. Nunquam enim ex Nilo effunditur, vel è lacu refunditur, absq; impensis talent. 50, seu coronat. 30000. quos tamen sumtus largissimè refundit lacus, ut paulò pòst docebimus.

§. 4. Aliúsne sit an idem lacus, quem describit *Jovius* l. 18. ambigo. Elegans tamen descriptio, quæ & huic accomodari possit lacui: De Cairo (olim Memphis fuit) inquit, *Non longè ab Regia lacus est, aquâ ex Nilo corrivatâ, manufactus. Eum ædificia miræ pulcbritudinis undique claudunt, summáque est ejus loci amœnitas, cùm & piscari & avibus quæ in lacu innumerabiles degunt insidiari ex ipsis etiam fenestris liceat. Sed hunc alius nobilitate superat figuræ triquetræ lacus, in extrema hujus Cairi novi regione, quæ Bulachum respicit. Is per emissarium lapidei operis, ubi ferreæ sunt cataractæ, crescente Nilo impletur, eo etiam latiore canali fluvio commissus naviculas admittit, quibus interdiu noctúq; qui lætioris vitæ genus colunt, & amoribus vacant, perveh untur. Domus ad elegantiam fermè omnes ipsâ fronte lacui imminent, quarum vestibula perpetuo podio & marmore lævigato circumstratis marginibus decorantur. His cymbas errantes ludibundiq; admovent, effusámque ad captandas auras virorum ac mulierum multitudinem citharis musicísque concentibus salutant.*

§. 5. Sed usum lacûs *Mæridis*, qui maximus fuit, operæpretium est cognoscere. Etenim à Nili parciore vel copiosiore exundatione annonæ in Ægypto copia aut inopia pendebat: ità quidem ut non parca tantùm exundatio sed & supra modum copiosa annonæ inopiam augeret. Utrique igitur extremo obviam itum hujus lacûs ope. Cùm enim exigua esset Nili inundatio, quæ sterilitatem in annum sequentem minaretur, singulari artificio aquæ ex hoc lacu elici & in agros derivari poterant. Sin modum excederet, itidémque annonæ inopiam portenderet, ex agris aqua redundans in lacum hunc corrivari poterat, bono Ægypti longè maximo, quo impensæ in admissionem vel emissionem aquæ factæ multiplici fœnore reddebantur; *Diodorus Siculus*.

§. 6. In medio hoc lacu insulam reliquit Rex, in qua sibi suæq; conjugi sepulchra excitari curavit, duas Pyramides, quarum utraq; stadium alta erat. In utriusq; cacumine simulacrum Regis & Reginæ regiis soliis insidentium ex lapide solido artificiosissimè excusum erat; *Diodorus*.

De aliis Pyramidibus, quæ in Ægypto stupendæ fuerunt, & mundi miracula auxerunt, videatur *Plinii* judicium, libr. 36. cap. 12. Fuit inter alias una portentosæ magnitudinis, quam *Chemis* Ægyptiorum Rex in sepulcrum sibi excitavit. In cujus ædificatione trecenta sexaginta hominum millia annos viginti integros sunt occupata. In cepas & raphanos, quos operariorum ingluvies absumsit, erogata millia octingenta talenta; hoc est, coronati 1080000. Tandem quoq; filiæ suæ pudicitiam impendit Rex: Cùm enim immanibus expensis attritum se videret, vulgato filiæ suæ formosissimæ corpore aurum collegit, quo cœptum opus absolveret. Lapis operi adhibitus est Arabicus. Ambitus soli jugera 8 continebat. Anguli paribus distabant intervallis ped. 880; *Herodotus, Diodorus, Plinius*.

Aliarum plerarumque Ægypti Pyramidum ignoti sunt conditores, justissimo casu, ut *Plinius* loquitur, obliteratis tantæ vanitatis autoribus. Quâ fini tam stupendas moles excitârint Ægyptiorum Reges, incertum est. Vulgò quidem Regum monumenta seu sepulcra credebantur: attamen in iis Regum cadavera non condebantur. Sunt qui existiment hoc potissimùm curæ Regibus fuisse, ut ingentem pecuniæ vim inter homines distribuerent, indéq; sibi imminentia pericula & insidias caverent. *Plinius* putat Regum circa eas fuisse otiosam & stultam ostentationem. Alii granariorum usibus destinatas opinantur. Fuisse tamen frumentum in iis conservatum non constat, nisi forsan *Josephi* temporibus: Ægyptiorum enim annona durabilis non est. Rectiùs videntur ii sentire qui id egisse Reges arbitrantur ut nominis & majestatis æternam relinquerent memoriam: quod sanè assecuti fuissent, nisi plerorumq; nomina præ vetustate obliterata fuissent. Ex iis enim nonnullæ annos jam attigerunt 3500; quanta nulli miraculorum reliquorum duratio obtigit. Jam enim dudum esse desierunt *Dianæ* Ephesinæ templum, Regis *Mausoli* sepulcrum, Colossus *Solis* Rhodius, *Jovis* Olympici statua, *Amphitheatrum Romanum, muri Babylonici*.

§. 7. Vectigal quod ex lacu colligebatur, singulis diebus talentum, seu 600 coronatos, Rex in Reginæ ornatum convertit. Viginti duo piscium genera lacus exhibuit: Unde tributum olim piscarium amplissimum ad Regem *Darium* redundabat; *Herodotus*, libr. 3.

§. 8.

§. 8. Hactenus *Mœridis* lacus. *Mareotidis* lacus, quem & *Mariæ* lacum appellant, Alexandriam versùs erat situs, & juxta Alexandriam in mare exonerabatur. Canalis in eum ex *Mœridis* lacu ductus erat, cui *Lyrus* nomen, insuperque plures alii ex Nilo. Fuit hic lacus olim insignis & navigiorum commerciis maximè frequentatus, adeò ut portum ejus longè ditiorem fuisse marino, *Strabo* scribat, lib. 17. *Martianus Capella*, lib. 6. De nupt. Philolog. scribit *Mareotim* lacum complures habere insulas, trajectúsque quadringentos, cujus tam longitudo quàm latitudo centena quinquagena millia passuum tenent.

§. 9. Vina ad eum præstantia nascebantur, quæ *Mareotica* appellârunt. Unde illud *Horatii*, 1. Carm. od. 37.

Mentémque lymphatam Mareotico.

Mareoticas vites quoque celebrat *Columella*. Scribit *Athenæus*, lib. 1. δειπνοσοφ. Vinum Mareoticum esse Alexandrinum, à Marea fonte, qui in urbe Alexandria est, & ab urbe ei fonti vicina, ejusdem, nominis, appellatum. Urbem olim maximam fuisse, nunc vicum esse. Paulò pòst; Vinum *Mareoticum* dictum putat à *Marone* quodam, uno ex iis qui cum *Baccho* militârunt.

§. 10. Hâc tempestate lacus navigiis, ut olim, non frequentatur, nec vineis cingitur, nec ædificiorum magnificentiâ ornatur: vix pagorum vestigia apparent. Postquam enim in *Solymanni* Imperatoris Turcici potestatem Ægyptus venit, à barbaris Ægypti miracula destructa & vastata sunt, etsi jam antè posterorum incuriâ plurima erant collapsa.

§. 11. Hactenus duo lacus ad Occasum. Quibus nescio an adjiciam alium Ægypti lacum, quem ad Nili ortum rejicit *Mela*. Est is mirabilis ob insulam quam habet, natatilem, quæ lucos, sylvas & grande ædificium sustinens, quocunque venti agunt pellitur; *Mela*, lib. 1. cap. 5. Similem habet Gallia Narbonensis; idem *Mela*, lib. 2. cap. 3. Plures alias recenset *Plinius*, lib. 2. cap. 95. *Macrobius*, Saturn. lib. 1. cap. 7.

§. 12. Ad Ortum, versùs mare Rubrum, ab ostio Pelusiaco, ut scribit *Diodorus*, insignis fossa fuit centum pedes lata & triginta alta: quam *Sesostris* Ægypti Rex, ut memorat *Aristoteles*, in Meteorolog. incæperat, & Nilum Rubro mari conjungere decreverat, ut tantò expeditiora & faciliora essent commercia, si ex Nilò in mare Rubrum navigari posset. Opus tamen imperfectum reliquit, quod absolvere *Darius* Persarum Rex aggressus est, ut, post alios, *Basilius* in Hexaemero meminit. Cùm verò, ut *Plinius* scribit, mare Rubrum Ægypto tribus cubitis altius esse intellexisset, & periculum esset nè mare undabundum per fossam hanc continuam obrueret totam Ægyptum, cœpto destitit. Tandem *Ptolemæus* secundus, excogitatâ periculi avertendi ratione, opportuniore loco opus absolvit, & in ipsum mare fossam deduxit, ità tamen ut aperiri claudíque pro arbitrio posset; *Diodorus Siculus*, lib. 1. cap. 3. Alii tamen scribunt fossam hanc in mare usque actam non fuisse, sed ad modicam usque à mari distantiam, ad fontes amaros usque, quòd ultra inundationis metus deterreret quem Rubri maris altitudo incutiebat: Etiamsi vanum fuisse hunc metum *Strabo* & autor libri De proprietatibus elementorum existimant: eò quòd Meridiana Septentrionalibus altiora non sint: quod tamen κατὰ παντὸς esse non puto.

§. 13. Similem aliorum quoque Principum audaciam in distinctis maribus conjungendis & continentibus perfodiendis historiæ memorant. Celeberrimus verò multorum conatus est inter sinum Corinthiacum & Saronicum seu Megaricum. Hoc igitur interscisso spatio utrumque sinum conjungere, ut navibus pateret meatus navigabilis, multi Reges & Principes adorti sunt; *Demetrius* Rex, Dictator *Cæsar*, *Caius* Princeps, *Nero*, *Domitius*, *Herodes* Rex: Quorum tamen omnium conatus in irritum cessit: quando, ut *Pausanias* inquit, *Divinitùs constitutis rebus manum injicere non licet.* Quam etiam in sententiam oraculum respondit Cnidiis, qui cùm Isthmum perfodere & insulam facere aggrederentur, ictis scopulis in fodentium oculos resilientibus impediti oraculum Delphicum super portento rogitârunt, & hoc responsum abstulerunt,

Ἰσθμὸν δὲ μὴ πυργοῦτε, μηδ᾽ ὀρύσσετε.
Ζεὺς γὰρ κ᾽ ἔθηκα νῆσον, εἴ κ᾽ ἐβούλετο.

Herodotus.

§. 14. De *Nerone* scribit *Dion*, cùm id adoriretur, scaturiisse inter initia cruorem, mox ululatus flebiles & mugitus auditos, visa quoque spectra multa: iis tamen haud territum *Neronem* ligonem arripuisse primum, & cæteros insequi exemplum coegisse: tandem tamen desistere coactum esse.

§. 15. *Demetrium* architecti, nè propositum exsequeretur, deterruerunt, quòd ob sinûs Corinthiaci altitudinem Æginæ & aliarum insularum submersio metuenda, & tamen navigationi alveus minimè idoneus futurus esset, ob rapidam affluxûs varietatem, qualis in Euripo viseretur. Ejusdem periculi metus, patrum nostrorum memoria, à consilio perfodiendi Isthmum Catabathmicum absterruit *Solimannum*; & Hispanos ab Isthmo Darienis perfodiendo; *Gaspar Ens*, Occident. Ind. lib. 2. c. 3. Alia quoque memorabilia exempla videantur apud *Camerarium*, part, 1. Horar. cap. 81.

§. 16. Nata hinc elegantis adagii ratio, ut qui impro-

improsperiùs (verba sunt *Cælii Rhodigini*) & inauspicatiùs rem quampiam conantur commoliunturque, *isthmum perfodere* prædicentur.

§. 17. Hactenus de Nili quoque ostiis & propaginibus insignioribus, quibus munitissimam Nilus Ægyptum facit, quam ἀθανάτῳ τείχει τῷ Νείλῳ τετειχισμένην *Isocrates* scribit, ὃς οὐ μόνον φυλακὴν ἀλλὰ καὶ τροφὴν ἱκανὴν αὐτῇ παρέχειν πέφυκεν. ἀνάλωτος μὲν ὢν καὶ δυσμάχητος τοῖς ἐπιβουλεύουσιν, εὐαγωγὸς δὲ καὶ πρὸς πολλὰ χρήσιμος τοῖς ἐντὸς αὐτοῦ κατοικοῦσι. Πάντοτε, inquit *Josephus*, lib. 4. De bello Jud. cap. 37. τετείχισται ἡ Αἴγυπτος. Hinc quàm prudentissimè Ægyptum tractandam Romani judicârunt, nè novas res moliretur, cùm loci naturâ munitissima, habitatoribus populosissima & annonæ feracissima esset. *Qua magis*, inquit *Hegesipus, poterat ad rebellandum quàm Ægyptus excitari, quæ decies septingenta & quinquaginta millia hominum, præter Alexandriæ incolas, Romanis fascibus numerat adscriptos?* Unde non Senatorem sed Equestris tantùm dignitatis virum Ægypto præfecit *Cæsar*. Causas reddit Diodorus, lib. 51. Πρέυστε γὰρ τὸ πολυάνδρεον καὶ τῶν πόλεων καὶ τῆς χώρας, καὶ πρὸς τὸ ῥᾴδιον τό τε κοῦφον τῶν τρόπων αὐτῶν, τήν τε σιτοπομπείαν καὶ τὰ χρήματα οὐδενὶ βουλευτῇ οὐχ ὅπως ἐγχειρίσαι αὐτὴν ἐτόλμησεν· ἀλλ' οὐδὲ ἐνεπιδημεῖν αὐτῇ ἐξουσίαν ἔδωκεν, ἂν μήτινι αὐτοὺς ὀνόμασι συγχωρήσῃ.

Magnam verò auri & argenti vim olim in Ægypto fuisse vel inde colligere est, quòd alchymica inibi studia valde floruerint circa auri & argenti fusionem. Quod cùm animadverteret *Diocletianus*, & rerum gerendarum ac seditionum movendarum nervos, pecunias, Ægyptiis auctum iri metueret, per universam Ægyptum omnes de alchymia conscriptos libros flammis tradi jussit; *Suidas*.

A seditionum studiis etiamnum hodie Ægyptii absterrentur immanitate suppliciorum. Grassatores enim & rebelles vivi corio exuuntur; *Scaliger*, Exercit. 246. §. 2. Excoriati diu magno cum cruciatu vivunt, si carnifex umbilicum ferro non attingat: eo tacto, illico exspirant.

Magnus Aurelius Cassiodorus (quod colophonis loco attexo) epl. 6. aquæ ductus Romanos Nilo admirabiliores esse prædicat, quòd per tot siccas montium summitates lavacris ac domibus liquores purissimos fistularum uberibus emittant, & ità æqualiter fluant ut nunquam aqua se possit desiderata subducere: Nilus verò, dum recedit, limus fit, dum venit insperatè, diluvium. Inde concludit famosum Nilum urbis fluminibus esse superatum. Hæc nisi per rhetoricam hyperbolen dicta excusentur, à vero toto cœlo aberrabunt, ut è singulis commentationis nostræ apicibus manifestum. Hic terminus esto.

Laudatus Deus in omnibus suis operibus.

FINIS.

Index rerum memorabilium.

Aqua

Croco-

HOMO.

Ex

FINIS.